

D. N. si. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

I. C. 223.

SIGNAT. MDLXCCXIII.



2
ORATIONES DVÆ:
UNA DE PVERO-
RVM ET ADOLESCENTVM
*etate, accommodata ad Festum
Micaëlis.*

ALTERA DE
CAVSIS FELICIVM SVCC-
*essuum in studijs, & quacunq; uocatio-
ne, ex uerbis Petri: Præceptor, in
uerbo tuo laxabo rete,
Luca V.*

SCRIPTÆ

A

M. ADAMO FRANCISCO
*Carnouio, in communem usum pio-
rum adolescentum.*

WVITEBERGÆ.

EX OFFICINA IOHAN-
NIS LVFFT.

ANNO M. D. LXIX.

2.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



CLARISSIMIS VI-
RIS, DOCTRINA, PIETA-
TE ET VIRTUTE PRÆSTAN-
tissimis, D. Hieronymo Reinwald, Illustriss: Prin-
cipis Georgij Friderici, Marchionis Brandeb.
& c. Cancellario: D. Consuli, & ordini se-
natorio Reipub. Carnouiensis, Do-
minis & amicis suis omni
pietate colendis,

S. D.



*Um ante aduentum Filij
Dei in carnem populus Iu-
daicus, in quo tunc erat do-
micilium & sedes veræ
Ecclesiæ, non solum ab exercitibus vi-
cinorum Regum & violentis armis
Romanorum duriter affligeretur, ve-
rum etiam à seditiosis ciuibus & Sa-
cerdotibus ambitione furentibus horri-
biliter laceraretur: Ethnici sapientes,
qui tunc vixerunt, intuentes pulchri-
tudinem & florem Imperij Romani,*

A 2

nequa

nequaquam iudicarunt, piam multitudinem in Iudæa tot aduersis casibus oppressam, & ipsa mole calamitatum ad paucos redactam, magis placere Deo, quam Monarchiam Romanam tot amplissimis victorijs & ingenti gloria rerum gestarum in mundo florentem. Ita postremis temporibus, quibus Deus immensa bonitate lucem Euangelij generi humano accendit, & paulò post, cum rebus humanis nouissimus dies illuxerit, in gloria rediturus est Filius Dei ad iudicium, multi reperiuntur, qui magnitudine successuum in regno Mahometico, potentia Romanorum Pontificum, & dogmatum dissidijs mouentur, vt vel dubitare incipiant, an sit aliqua Ecclesia & populus Dei, retinens incorruptam Euangelij veritatem, vel existiment, aliarum gentium
tium

tium homines non minori curæ esse
Deo, quàm miserum & ærumnosum
cœtum, qui nomen Ecclesiæ in mundo
circumfert & profitetur. Ac vtrumq̃
à Filio Dei & Apostolis prædictum
est, quòd in extrema senectâ mundi non
solùm futuræ sint horrendæ confusio-
nes in Ecclesia & Imperijs, verum eti-
am secutura sit ἀποστασία in multis mem-
bris Ecclesiæ, sicut grauissimè queri-
tur Filius Dei: An putas, quòd Filius
hominis veniens fidem reperturus sit
super terram? Aduersus hæc tetra
scandala muniendæ sunt mentes piorum
cùm alijs testimonijs diuinis, tum per-
spicua & certa confessione Symboli:
Credo sanctam Ecclesiam Catholicam,
sanctorum Communionem. Certissi-
mum est enim, inde vsq̃ ab initio gene-
ris humani fuisse, & nunc in magnis

A 3

turbis

turbis rerum humanarum esse, & deinceps usq; ad resurrectionem mortuorum mansuram in mundo Ecclesiam, seu cœtum peculiarem, ab impia & profana multitudine illustribus notis distinctum, quem præ cæteris gentibus amat & curat Deus, ad quem omnes promissiones diuinæ pertinent, qui & in hac vita beneficia Filij Dei accipit, & in cœlesti consuetudine habiturus est vitam, lætitiā & gloriam æternam. Cum autem hic cœtus alligatus sit ad verbum, quo se Deus patefecit, vt in Esaia dicitur: Ad legem & testimonia: Et æternus Pater de Filio clamat: Hunc audite, nequaquam existimandum est, colluuiem Mahometistarum & Romanorum Pontificum esse Ecclesiam. Quia furenter reijcit aut sceleratè corrumpit vniuersam doctrinam

nam

nam Euangelij, & noua Idola ac cul-
tus commenticios cum manifesta con-
tumelia Filij Dei fingit ac defendit.
Nec dubium est, vtrumq; regnum,
Mahometicum & Pontificium, à Dia-
bolo in perniciem veræ Ecclesiæ con-
stitutum fuisse, vt suam rabiem aduer-
sus Filium Dei cum sanguine piorum
innocentum per arma Turcica, tum
animarum interitu per impia dogmata
Pontificum ante iudicium expleret.
Ideò Spiritus sanctus vtramq; Tyran-
nidem nouissimis temporibus exoritu-
ram, ante annos 2058. damnauit per
Danielem, cap 7. 8. & 12. vt sua vo-
ce præiret pijs, quid de scandalis ante
finem mundi grassaturis sentirent.
Quanquàm igitur & Turcæ & Ponti-
fices Romani opibus, potentia & lætis
successibus floreant in mundo: Tamen

A 4

non

non ex spectaculis prosperorum euen-
tuum, aut quarumcunq; rerum exter-
narum congruentia iudicandum est de
vera Ecclesia, sed ex possessione &
constanti professione verbi cœlestis.
Cumq; effundant manifestas blasphemias
in Filium Dei, & nervus vtriusq;
Tyrannidis sit horribilis Idolatria, de-
inde atrox & sæva militia aduersus
sanctos, statuamus verissima de ijs esse
iudicia diuinæ vocis: Si quis non dili-
git Dominum Iesum Christum, Ana-
thema sit, Maranatha. Item: Si quis
aliud Euangelium docuerit, Anathe-
ma sit. Contrà verò Ecclesia Dei in
genere humano constanter amplecti-
tur integram & incorruptam Euange-
lij doctrinam, sicut ea diuinitus pate-
facta, & scriptis Prophetarum atq;
Apostolorum comprehensa est, &
iuxta

iuxta eam verum Deum æternum
Patrem, Filium & Spiritum sanctum
agnoscit, retinet legitimum vsum Sa-
cramentorum, & pijs cultibus in agni-
tione & fide Filij Mediatoris Deum
colere ac celebrare studet. In hoc cœtu
Filius Dei perpetuò adest, glorificans
æternum Patrem, & per vocem Eu-
angely ac Spiritum sanctum multos
regenerat ad vitam æternam. Nec re-
fert, vbi colligatur in genere humano,
aut quibus successibus in mundo vta-
tur. Non enim alligatus est ad vllius
gentis politiam, nec vllis præsijs aut
splendore politico firmatus: Sed hinc
inde vagatur in Imperijs, & sæpe du-
rissima seruitute iuxta consilium Dei
premitur. Nihilominus retinet veras
sententias Euangely, & secum habet
Filium Dei λόγος, qui subinde repetit

A 5

dulcissi-

dulcissimas promissiones, & Spiritum
sanctum παρόικλητος, qui est arrabo &
pignus promissæ hereditatis, & viui-
fica consolatione mentes erigit atq; su-
stentat. Talem cœtum nunc quoq; in
varijs confusionibus postremorum
temporum & collisionibus Imperiorum
colligi statuamus, iuxta promissionem:
Portamini in mea aluo. Ego vos usq;
in senectam & caniciem portabo. Et
quamuis in hac languida & delira
mundi ætate crescunt vitia, quibus de-
formatur Ecclesia: Tamen propter
atrocia scandala, quæ extremo furore
Diaboli & hominum malitia commo-
uentur, non negligamus cœtum sancto-
rum, sed verbo prælucente eum quæra-
mus, & nos ei vera fide, inuocatione
& confessione adiungamus. Quanta
enim beatitudo & gloria est? non viue-
re in

re in damnato agmine hostium Filij
Dei, sed esse membrum veræ Ecclesiæ,
quæ est perpetuum domicilium Dei &
sanctorum Angelorum, cui Filius Dei
vt peculio carissimo omnia beneficia
sua communicat, quam subinde docet,
gubernat, viuificat, & salutari conso-
latione perfundit Spiritus sanctus,
quæ in hac vita defenditur aduersus
grassantes Diabolos, & paulò post
æterna letitia & vita cum Deo frue-
tur. Hanc summam felicitatem rectè
intellexit Dauid, ideoq; omnibus rebus
humanis eam anteposuit, inquiens:
Vnum petij à Domino, hoc requiram,
vt habitem in domo Domini omnibus
diebus vitæ meæ, vt videam volupta-
tem Domini, & visitem templum
eius.

Ego verò quoties hoc ingens bo-
num mente mea considero, toto pectore
Deo

Deo gratias ago, viri clariss. quòd im=
mensa bonitate & parentes meos, &
vos omnes, & patriam vniuersam ad
societatem veræ Ecclesiæ vocauit.
Nec tam meis commodis gaudeo, quòd
benigna gubernatione Dei, & Illustris=
simi Principis nostri beneficio propè
diuino in his locis veram & incorrup=
tam Euangelij doctrinam cum artibus
& linguis necessarijs discere possum,
quàm patriæ felicitate, cui ex animo
gratulor, quòd liberata sit à tristi iugo
Tyrannidis Pontificiæ, & quotidie au=
dit Filium Dei per pios ac fideles Do=
ctores in ministerio concionantem.
Olim in ea parte Silesiæ Orientalis, vbi
nunc est Episcopatus Nissensis, Du=
catus Iegerdorfensis & Opoliensis, &
tractus Poloniæ versus Cracouiam in=
ter Sudetum & Carpati iuga, habita=
runt Quadi homines Ethnici, truculen=
ti,

ti, bellicosi, quos propter belli studium
& gloriam celebrat Tacitus. Nam
cum Marcomannis, qui sunt Moravi,
diu multumq; exercuerunt Imperato-
res Romanos, & in primis M. Antoni-
num Philosophum, qui Marcomannos
& Quados socijs Hermunduris &
Nariscis (hodie Misnenses & Voitlan-
di nominantur) bellum inferentes, me-
morabili prælio superavit fortitudine
Christianæ legionis Meliteæ, quæ præ-
cibus suis non modò pluuiam in magna
siti exercitus, sed etiam fulmina aduer-
sus Quados à Deo impetrauit. Et pa-
triæ denominatio testatur, etiam dein-
ceps eam incoluisse homines feros,
agrestes, venationis & rei pecuariæ
studiosos, & superstitioni deditos,
quam vicinæ gentes plurimum auxe-
runt, cum Pontifices Romani orbem
terrarum

terrarum Idolis compleuissent. At
nunc eam incolit Filius Dei, qui Eccle-
siam sibi inter vos colligit, eamq̄ hono-
rifica appellatione ornat, vt verè sit
BETHZAIDA, domus Venationis, in
qua ipse per Ministros pios & rectè in-
stitutos retia tendit animabus homi-
num, iuxta promissionem Iere. 16:
Mittam eis multos Venatores, & ve-
nabuntur eos de omni monte, & de
omni colle, & de cauernis petrarum.
Spargit enim vocem Euangely, qua
rectè doceantur homines profani & in-
culti de vero Deo, de cultibus diuinis,
de exercitijs pœnitentiæ, de officijs ho-
nestarum virtutum, & hac salutari
venatione erepti Diabolo, copulentur
Deo, ab eoq̄ presentibus & æternis bo-
nis donentur. Nec dubium est, in tali
Bethzaida multas esse bestiolas verbo
diuino

At
le=
no=
sit
in
n=
i=
s:
e=
le
n.
a
n=
s,
n=
ri
r
n=
li
o
o

diuino cicuratas, & ouiculas Filij
Dei, hoc est, homines pios, verè placen-
tes Deo, rectè inuocantes eum, & ele-
ctos ad vitam æternam. Vtinam hoc
summum decus agnoscant omnes ci-
ues, & cum seipsos tum liberos suos
ab ineunte ætate ad agnitionem Dei, ad
veram pietatem, ad officia virtutum,
ad studia humanitatis, deniq; ad neces-
sariam curam Ecclesiæ, quæ per iucun-
dam venationem Filij Dei colligitur,
assuefaciant. Hanc piam diligentiam
vt pro mea parte excitarem & adiu-
uarem, inter priuatas operas studio-
rum, de dignitate, educatione & insti-
tutione adolescentiæ duas Orationes
scripsi, quas & initiò ciuibus meis de-
stinavi, & iam cum viris doctis &
amicis meis probentur, publicè patriæ
offero & dedico, vt & ciuem gratum,
& eiusdem Ecclesiæ socium me esse
osten-

ostendam. Et quanquam fateor has
primitias meorum officiorum satis esse
exiguas: Tamen vincit amor patriæ,
quem cum Praxithea Cephisi vxore,
filiam offerente pro patria maclan-
dam, libenter profiteor:

ὦ πατρίε εἶθε πάντες οἱ ναῖεσσι σε
οὕτω φιλοῖεμ ὡς ἐγὼ, καὶ γέγραδ' ἴως
οἰκῶμεν ἄρ σε, κοῦδερ' ἄρ πάχοις κακῶν.

Quare pro vestris etiam erga me
beneficijs viri clariss. hanc gratæ
mentis beneuolentiam æquo animo ac-
cipite, & vicissim me, meosq; & ma-
trem in primis officijs mutuis prose-
quamini, vt hætenus studiosè fecistis.
Quod reliquum est, toto pectore oro
Filium Dei, Dominum nostrum Ie-
sum Christum, Regem & sacerdotem
Ecclesiæ æternum, vt vos omnes in
vera Dei agnitione benignè conser-
uet, & suam Bethzaidam Verbo cœ-
lesti inter vos fundatam & munitam,
aduersus

aduersus omnia pericula clementer pro-
tegat & defendat, Amen. *Witteber-*
ga, Anno M. D. LXVIII. XIX. No-
uembris, quo ante annos 154. natus
fuit ALBERTVS Elector, Marchio
Brandenburgensis, ob res egregiè ge-
stas cognominatus Achilles Germani-
cus, proauus Illustrissimi Principis
Georgij Friderici, Marchionis Bran-
denburgensis, Domini nostri clemen-
tissimi.

V. E.

studiosiss:
Ciuis.

M. Adamus Franciscus
Carnouius.

B IN

IN ORATIONES

M. ADAMI FRANCISCI EPI-
gramma Παρναϊκῶν.

HAud equidem credo, quòd sit præstantior orbe
Cœtus, maiori quem complectatur amore,
Quemq; magis foueat præsens, tueatur & ornet
Filius ipse DEI, teneræ quàm blanda iuuentæ
Agmina, quæ, postquam pietatis semina primæ
Hauerunt, balba meditantur dicere uoce
Grata DEO, dictisq; ipsum super æthera tollunt.
Scilicet Infantes, & matris ab ubere charæ
Pendientes DEVS ipse suis complectitur ulnis,
Atq; horum infirmo laudes sibi perficit ore.
Ipse hos deberi cœlo, uitæq; perenni
Afferit, hosq; ideò uita hac examine stipat
Angelico, coràm summi Patris ora tuente,
Infandosq; ausus Satanae prohibente, dolosq;.

Heu mihi, quot fraudes? heu quot discrimina ui-
Quàm furor immanis pueriles undiq; cœtus, (tæt
Et quàm telorum Satanae seges ignea cingit?
Nempe sciunt ipsæ matres, & scire fatentur,
Non opis esse suæ, paruos defendere natos,
Incassumq; omnes sese exercere labores,
Ni DEVS immenso puerorum uictus amore,
Hostiles inter fraudes, interq; furores
Defensos daret, & telis uitæq; periculis
Eriperet saluos, atq; angelico comitatu

Cingeret,

Stingeret, & coetum praesens tueretur inermem.
OMNIS in hoc coetu summi stat cura Parentis.

Ergo o delitiae Domini, Dominiq; uoluptas
Unica, uos animo bona uestra agnoscite grato,
Quaeq; sit aetatis uestrae praestantia, honosq;
Discite, & hanc studio, uigiliq; reuoluite cura.
Hanc uobis Iuuenes cumulum congesit in unum,
Excultoq; stylo scriptam communicat ultrò
Vir pius, & uestri mirè studiosus, ADAMVS
FRANCISCVS, quem quisq; pio cumulabit ho-
Debita pro tanto persoluens grata labore. (nore

Ipse equidem memor officij, tibi dicere grates
Cessabo nunquam, prius hic mutabitur ordo,
Ætatemq; ortu teneram rugosa senectus
Præuertet, quàm mente mea labatur ADAME
Sedulitas, studiumq; tuum, quo multa fauoris
Argumenta tui praebes, animosq; iuuentæ
Arte rudes formas doctrina diuite, & usu,
Et causas orare doces, & operta recludis
Scripturae monumenta sacrae, fontesq; salubres.
Nomen ADAME tuum semper, laudesq; manebunt.

Burchardus Barth
Sittawienfis.

B E O R A .

ORATIO PRIOR

DE PVERORVM ET ADO-

lescentum ætate, accommodata ad

Festum Micaëlis,



Hodie hodiernus, qui Micaëli Archangelo sacer est, & concio suauissima de sanctis Angelis, eorumque officio in agmine piorum, ad dicendum me in hac domestica consuetudine inuitarunt. Ecclesia enim hoc ipso die inter cætera beneficia verentis anni grata mente celebrat insignne testimonium curæ & protectionis diuinæ, propositum in sanctis Angelis, quos Deus in coetu piorum custodes & ὑπερασπιστὰς aduersus hostes Diabolos immensa bonitate constituit. Huius beneficii magnitudinem qui non intelligit, intueatur imaginem certaminum & periculorum Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus terribili Hypotyposi describit in Apocalypsi. Semper in coelo, hoc est, in visibili consuetudine terrenæ
huius

R
huius Ecclesiae durat bellum illud
ἄσπονδον & crudele, quod post condi-
tum genus humanum in Paradiso
coeptum, vsq; ad iudicium & finalem
totius mundi ruinam ac destructionem
durabit. Draco magnus, serpens vetus,
qui nominatur Diabolus & Satanus,
cum Angelis atq; organis suis, Tyran-
nis, Hæreticis & florentissima parte
generis humani, acerbissimo odio &
contentione maxima oppugnat Eccle-
siam Dei, eamq; non solum vi manife-
sta & immani crudelitate, sed etiam
occultis insidijs & dogmatum præsti-
gijs euertere atq; delere conatur. Ec-
clesia verò mater anxia & prægnans,
gestans in vtero Filium Dei, & partu-
riens cum ingenti consternatione &
dolore, vehementer sollicita de sua sa-
lute & incolumitate membrorum, pel-
litur in exilium ad extremos angulos
mundi, vbi in angustijs conclusa, &
humanis præsijs destituta premitur
ingentibus ærumnis ac periculis, è
quibus nullis consilijs humanis, nullo

B 3 robore

robore creaturarum eluctari potest. In his tantis miserijs & calamitatibus deficiente natura rerum, conspicua est sanctorum Angelorum defensio, qui cum Micaële fortissimo Duce suo, Filio Dei, sedente ad dexteram æterni Patris, & pijs Doctoribus, acerrimè dimicant pro cœtu imbelli aduersus frementes copias Diabolorum, quas potenti robore vincunt ac profligant, imò detectis fraudibus & insidijs atrocibus vniuersum agmen Satanicum ex Ecclesia eijciunt, vt victrici manu compressum atq; prostratum amplius nocere nequeat. Et quamuis nondum prorsus extinctum circa limites & septa veræ Ecclesiæ cum ingenti fremitu grassetur: Tamen Filius Dei Dux exercitus Angelorum peculium suum ereptum è faucibus hostium, & ἀκροθύω via charissima firmissimis præsijs munit aduersus nouas irruptiones, eiq; adiungit agmina Angelorum ceu cohortem prætoriam, quæ sit in excubijs pro Ecclesia, & vim hostilem à capite piorum

piorum depellat. Propter huius admirandi beneficii memoriam & celebrationem, solennis est Ecclesiae hic dies, quo cum toto caelestium choro suaue illud ἑπιὶνικιον grata mente canit & repetit: Nunc in caelo facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, & robur Christi eius: Quia eiectus est, qui accusabat Sanctos die ac nocte: Propterea laetamini coeli, & omnes qui habitatis in eis. Etsi autem necessariam custodiam & protectionem Angelorum cogitantes valde miramur, quare Deus ad miserimorum & sordidissimorum hominum ministeria spiritus praestantissimos & tota natura integerrimos ordinare voluerit: Tamen attentius consideranti mihi dulcissimam concionem huius diei apud Matthaeum, admiratione maiore dignum videtur singulare consilium Dei in aetate puerorum, quod his etiam praeter alia Encomia valde insignia custodiam Angelorum additam esse Filius Dei affirmat. Quae enim virtus eximia? quis splendor?

B 4 quæ

quæ dignitas & pulchritudo in pueris
aliquam præstantiæ laudem mereri
posse videtur? Ideo si politicorum ho-
minum iudicia de ijs quærantur, non
erunt dissimilia sententiæ Pontificum
& Scribarum, qui Filio Dei solenni
pompa ingredienti urbem Hierosoly-
mam, pueros cum ramis palmarum
occurrentes, & exhibito Regi in tem-
plo lætum Pæana canentes, cum fremi-
tu compescere conantur, & omnino
statuunt, florentissimam illius populi
partem sacrificijs Leuiticis & cultibus
grauioribus occupatam, magis placere
Deo, quàm ingratos clamores & con-
tempta officia puerorum, qui propter
virium imbecillitatem & ætatis obscu-
ritatem nulla ornamenta vitæ politicae
sustinere videntur. At Filius Dei hanc
falsam imaginationem à scripturarum
testimonijs alienissimam esse docet, &
illustre Encomium teneræ ætatis op-
ponit, inquit: Nunquàm legistis: Ex
ore infantium & lactentium perfecisti
tibi laudem, Idem alibi suo complexu
testatur,

testatur, se ardere incredibili amore
puerorum, quibus & fidei donum &
suorum beneficiorum societatem attri-
buit, quibus dulcissimum illud ἀρετόμα
subinde succinit, æterni Patris volun-
tatem esse, vt regni cœlestis hæredita-
tem quasi priuilegio quodam præ cæ-
teris accipiant, quos vniuersæ Ecclesiæ
velut normas vitæ ac virtutum spiri-
tualium proponit, quos neq; contemni
vult, neq; scandalis corrumpi, quos de-
niq; inter ingentia pericula & insidias
multiplices accuratè munit satellitio
sanctorum Angelorum, qui faciem Pa-
tris cœlestis assiduè intuentur. Hoc
cùm ita sit, in tanta diuersitate iudicio-
rum de infima & sprete conditione
puerorum, magis assentior Filio Dei,
cuius & amorem non simulatum, &
præconium verissimum esse statuo.
Sed cùm sola virtus laudem mereatur,
virtutisq; laus omnis in actione con-
sistat, vehementer conturbor in tanta
obscuritate & impotentia virium, so-
leoq; in dubium venire nonnunquam,

B 5 rectene

rectēne nobilissimum illud ἀξιωμα puerili ætati præ cæteris attribuatur. Causas igitur amoris diuini & consilij admirandi de adolescentia, non ex ratiunculis humanæ sapientiæ, sed ex euidentibus testimonijs doctrinæ cœlestis in præsentia querere decreui, vosq; oro, vt me de hac tanta re, quæ nostræ ætatis gloriam vindicatura est, puerorum more balbutientem benignè attenteq; audiatis.

Ac primùm vos diligenter meminisse velim, dum adolescentiæ laudem, eiusq; causas verissimas ex oraculis Spiritus sancti commemoro, non loqui me de impia colluie Ethnicorum, sed de pio cœtu veræ Ecclesiæ, qui vt singulare peculium Filij Dei ardenti studio amplectitur totam doctrinam Euangelij diuinitus patefactam, & iuxta eam gratos cultus in fide religiosa & bona conscientia præstare studet. Etsi enim non dubium est, Deum propter generis humani societatem & ordinis politici conseruationem amare & donis

nis excellentibus ornare adolescentiam
inter Ethnicos, sicut Cicero fatetur,
nullam excellentem virtutem sine af-
flatu diuino vnquam fuisse: Tamen
cùm de amore & beneuolentia Dei er-
ga homines cogitatio suscipitur, diuer-
si gradus præsentia in natura, diuina-
rum actionum atq; effectuum discrimina efficiunt. Semper Deus omnibus
creaturis adest, earumq; substantias &
vires tantisper, donec vult, conseruat.
Et in genere humano naturam, qualis
est, sustentat, ordinat & gubernat ho-
nestam societatem in Imperijs, dat fe-
lices ac salutare gubernatores, per
quos præmia distribuit bonis, malos
verò punit ac destruit, multos deniq;
præstanti sapientia, potentia & virtu-
tibus Heroicis instruit, vt pax & tran-
quillitas publica totiusq; generis hu-
mani societas conseruetur. Ac vt in or-
dine naturæ totius omniumq; partium
harmonia cum voluptate acquiescit:
Ita mirificè delectatur pulchritudine
ordinis politici, & iucundam illam

πεθαρξίαρ

πρωτορχίας in Imperijs ac consensum offi-
ciorum cum sua sapientia & voluntate
congruere testatur. Hæc generalis
præsentia Dei & oblectatio in natura
rerum & societate generis humani,
prorsus discernenda est à singulari be-
neuolentia & cura Dei erga cœtum
peculiarem, quem Filius Dei per vo-
cem Euangelij & Spiritum sanctum
à reliqua multitudine hominum se-
parauit. Hic cœtus verè est domicilium
Diuinitatis sacrosanctum, propter Eu-
angelij incorrupti possessionem, &
cultum diuinorum professionem, &
ad hunc solum omnes promissiones
diuinæ, omnes significationes arden-
tissimi amoris quasi hæreditario iure
pertinent. Quàm suavis est vox illa ex-
primens ardentissimam σοφῶν æterni
Patris apud Esaiam: Audite me domus
Jacob. Qui portamini à me in vtero, &
gestamini in mea aluo. Ego vsq; ad se-
nectam & caniciem vos portabo, ego
faciam, ego gestabo & redimam. Quã-
tum amoris incendium lucet in con-
cione

cione cœlestis sapientiæ apud Salomo-
nem: Ego me diligentes diligo. Ludo
in orbe terrarum, & delitiæ meæ cum
filijs hominum. Quante sunt delitiæ in
dulcissima consolatione Filij Dei: Ioha.
10: Oves meæ vocem meam audiunt,
& sequuntur me, & ego vitam æter-
nam do eis, nec peribunt in æternum,
nec rapiet eas quisquam de manu mea.
Hæ voces ambrosiam & nectaris flo-
ram suauitate superantes, non ad pro-
fanam colluuiem impiorum hominum
pertinent, qui in Imperijs Epicuræo
contemptu reiiciunt Euangelium, &
Barbarica scelerum licentia delectan-
tur. Sed in Ecclesia Dei tantum so-
nant, quæ per ministerium verbi cœ-
lestis à Filio Dei collecta, & ex reliqua
multitudine generis humani excerpta,
flagranti studio amplectitur totam do-
ctrinam diuinitus patefactam, iuxta
eam verum Deum rectè agnoscere, in-
uocare & colere studet, ac mores vitæ
totius ad eius præscriptum religiosa
pietate accommodare conatur. Hunc
cœtum

coetum peculiari amore præ cæteris
gentibus Deus complectitur, cui om-
nia bona sua communicat, & credentes
Spiritu sancto velut Arrabone oblig-
nat & sanctificat ad vitam æternam. In
hoc coetu semper adest Filius Dei sua-
uiter ludens in medio eius, hoc est,
summè lætificat æternum Patrem ostē-
sione inexhaustę sapientiæ in mirando
ordine opificij mundi, promulgatione
Euangelij, instauratione generis hu-
mani, viuificatione & restitutione Ec-
clesiæ, quam ceu foetum tenerum à se
pendentem cum ingenti voluptate ge-
stat, fouet, sustentat, aduersus pericula
etiam in ætate languida & senio squa-
lente defendit, tandemq; plurimis pe-
riculis & vitæ molestijs perfunctam,
placidè perducit ad complexum æter-
ni Patris, ad vitam, lætitiã & gloriam
in cœlesti consuetudine sine fine possi-
dendam. Sunt autem adolescentes præ-
cipua pars huius agminis, cui per Bap-
tismum inserti veram de Deo doctri-
nam simplici studio discunt, iuxta eam
arden-

ardenti pietate & timore Deo obedi-
unt, & honestis officijs, quæ vocationis
necessitas imponit, gloriam Dei cele-
brare & propagare student. Hi cùm
sint Ecclesiæ seminarium amœnissimo
flore pubescens, & odore suauissimo
recreans æternum Patrem, quomodo
beneuolam eius affectionem ab ijs ex-
cludemus? Quomodo ætati ipsorum
similiter fauere negabimus Filium Dei,
qui hominum filios in delitijs sese ha-
bere cum lætitia gloriatur? Non nego,
omnes homines propter malum origi-
nis cum horribili reatu in hanc lucem
edi. At quanta felicitas, quantum decus
est, esse ciuem veræ Ecclesiæ Dei? Om-
nes infantes extra Ecclesiam vna cum
adultis perpetuò sustinent horribile
iudicium Dei irascentis & comminan-
tis. Ac de his summus sacerdos Filius
Dei in Psalmo loquitur: Nō offeram li-
bationes eorum, nec mentionem ipso-
rum faciam labijs meis. Et alibi inquit:
Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi-
ritu, non potest intrare in regnum Dei.
In

In Ecclesia verò pro infantibus à Filio
Dei institutum est salutare lauacrum
regenerationis, quo abluti liberantur
ab ira Dei & condemnatione, ac in
possessionem diuinarum promissio-
num, & cœlestium bonorum hæredita-
tem restituantur. Nam in actione Bap-
tismi Filius Dei verè præsens ipsa mer-
sione in aquam testatur, infantes san-
guine suo ablui à peccatis, recipi à vero
Deo in gratiam, & sanctificari Spiritu
sancto ad vitam æternam. Et quidem
seriò gaudet adduci pueros ad Bap-
tismum, vt sua beneficia ipsis applicare
possit, & adductos obujs vlnis aman-
ter complectitur, induit eos ornatu no-
uo atq; indumento suæ iustitiæ, vt pla-
ceant æterno Patri, & per Spiritum
sanctum efficit in eis motus salutare
pro ipsorum captu, sicut Baptista intra
latebras vteri materni exultans hilari
gestu præsentiam Messia designat.
Hoc modo liberatos à tristi reatu, & in
vlnis suis humanissimè tractatos in-
fantulos curat educari atq; erudiri à
pijs

pijs parentibus, in horum brachia &
sinus dulcissimo amore ardentes eos-
dem deponit, non aliter ac Pastor hu-
meris gestans amissam ouem, cum ex-
ultatione ingenti eandem intra septa
reducit, & fidei custodibus commen-
dat. Nec inter officia Parentum &
præceptorum suam benevolentiam cu-
ramque deponit, sed augescentem æta-
tem pluribus donis & quotidianis te-
stimonijs præsentiaë salutaris ornat, lu-
ce verbi sui teneras mentes illuminat,
corda salutaribus motibus gubernat,
& infirma corpora munit aduersus in-
finita pericula, vt de talium adolescen-
tum agmine verissima sit gloriatio sa-
pientiaë Dei: Delectationes meæ cum
filijs hominum. Et illa Psalmi promif-
sio: Omnis voluntas mea cum sanctis,
qui sunt in terra. Hoc animo Filium
Dei erga nos esse statuamus, & toto
pectore lætemur, quòd in eorum nu-
mero sumus, quos Deus amore suo
dignissimos iudicat, quos fœdere sem-
piterno sibi copulauit, quos in sui agni-
tione

C

tione

tione & exercitijs piorum cultuum
amanter ducit, ad quorum captum sese
accommodat, quorum languidos co-
natus ad publicam vtilitatem generis
humani clementer prouehit. Vtinam
hanc summam præstantiam agnosce-
rent omnes parentes, & diligentius
curarent ætatem teneram suæ fidei
commissam, Herodotus cùm Histo-
riam à se scriptam in Olympijs recita-
ret, Thucydidem adolescentem velut
Enthusiasmo quodam correptum, &
ad liberalis doctrinæ studia inflamma-
tum illachrymare vidit, & ad patrem
Olorum fortè in Theatro propius as-
sidentem conuersus dixit: μακαρίζω σε τῆς
εὐτεκνίας Ὀλορε: ὁ γὰρ σὸς ἦς ὀργῶταρ ἔχει πλὴν
ψυχῶν πρὸς τὰ μαθήματα. At quantò feli-
ciores sunt parentes in vera Ecclesiæ
quorum liberi reuera sunt palmites &
furculi Filio Dei inserti per Baptis-
mum, & præter vulgaria dona ingenij,
sapientiæ ac virtutum reliquarum, quæ
in Ethnicis etiam reperiuntur, illu-
strantur luce Euar gelij, & peculiari-
bus

bus motibus accenduntur per Spiritum sanctum, qui sunt acriores stimuli ad exercitia piorum cultuum, ad officia verarum virtutum, ad celebrationem & propagationem gloriae Dei in mundo, ad conseruationem ordinatae societatis & rerum pulcherrimarum in genere humano. Tales liberos disertè affirmant Psalmi esse singularia dona Dei, & κειμήλια preciosa, hominibus concessa. Propter hos beati praedicantur parentes, felices Oeconomia, florentes Ecclesiae, tranquillae Respublicae, denique tota salus rerum humanarum, & publici priuatiq; status incolumitas in ijs solis conquiescit, vt postea dicetur. Ideo apud Mattheum praecipit Filius Dei, vt tales recipiantur in nomine suo, & officijs honestae ac piaeducationis seipsum verè coli, neglectione autem & incuria adeo se offendi significat, vt innocentis atq; imperitae aetatis corruptionem in parentibus ignavis & scandalorum autoribus, poenis presentibus atq; aeternis vindicare velit.

lit. Ac ne cui mira videatur ardens illa
solicitudo Filij Dei, quam significan-
ter exponit, inquiens: Non est voluntas
coram Patre vestro, qui in coelis est, vt
pereat vnus de pusillis istis: intueatur
mores adolescentiæ simplices, honestos
atq; incorruptos. Cùm enim Deus sit
mens casta, iusta, benefica, verax, mise-
ricors, irascens peccatis, & seuerissimè
postulans easdem virtutes ab omni-
bus, sua profectò innocentia & ingenij
simplicitate præclarum sibi amorem &
benevolentiam à Deo conciliare po-
test. Persona reconciliata est Deo per
Filium, ideò placent opera in speciem
contempta & abiecta. Et quanquam
in baptizatis adolescentulis adhuc hæ-
ret morbus peccati: Tamen per æta-
tem nondum sentiunt caliginem & flu-
ctus dubitationum de Deo, de proui-
dentia, de alijs rebus bonis, nondum
percipiunt errantes cupiditates & in-
cendia malorum affectuum, nondum
experiuntur illecebras Diabolorum &
mundi, nondum intelligunt contagia
publico-

publicorum scelerum, nec implicantur
vitæ negotiis, in quibus multum est er-
rorum & flagitiorum: Sed simplici
affectu doctrinam Catechetica[m] am-
plectuntur, & sine impedimentis inte-
gerrima pietate Deum colunt in offi-
cijs domesticis, in publicis congressi-
bus Ecclesiæ, in laboribus vocationis,
in cultu & reuerentia erga alios. Itaq[ue]
sæpius mihi in mentem venit fabula
vetus de Astræa virgine, quam Poëtæ
ferunt expulsam ciuitatibus diu soli-
tam fuisse in agris concionari rudibus
Agricolis: Ita mihi videtur Iustitia &
sancta simplicitas propemodum pulsa
ex aulis, ex foro, è templis, ex moribus
rusticorum, ex alijs hominum cœtibus
atq[ue] commercijs, adhuc hæere inter
pios ac religiosos adolescentulos, quo-
rum studia & mores ita gubernat, vt
Deo placeant, & ab hominibus pluri-
mum commendentur. Officia enim er-
ga parentes & alios homines in ciuili
consuetudine sincera sunt & inculpata,
ideoq[ue] Filius Dei simplicitate & mo-
destia

deſtia cōtempti cuiuſdam puelli, quem
Ignatium fuiſſe quicquam referunt, arro-
gantiam Diſcipulorum, de primatu
contendentium, acerbè taxat, & vni-
uerſam Eccleſiam puerorum affectus
aſſumere iubet, vt ſit maxima in regno
cœlorum, hoc eſt, ampliſſimam glo-
riam in cœleſti conſuetudine confe-
quatur. Non certant ambitione, nec ſu-
perbè contemnunt alios, non iniuſtis
odijs premunt innocentes, non conta-
minant ſe humano ſanguine, non in-
dulgent libidinibus, non immodicè ap-
petunt aliena, non calumnijs defor-
mant honeſtam famam bonorum, non
malitioſè deprauant rectè dicta aut fa-
cta aliorum, non iniurijs improborum
offenduntur, ſed ſine acerbitate condo-
nant offenſiones, & ſua modeſtia con-
cordiam & pacem mutuam tuentur, vt
merito à Filio Dei edocti videantur, qui
graviſſimè præcipit: *Discite à me, quia
mitis ſum & humilis corde.* Tales cùm
ſint mores incorruptæ ætatis, nemo
miretur, cur Deus in eius officijs ſuavi-
ter

ter conquiescat, cur simplices eius cul-
tus vehementer approbet. Habent
enim pñj & innocentes adolescentuli
hoc quasi ius & priuilegium à Deo
concessum, vt inuocantes penetrent
cœlos, & sinceris gemitibus suis emol-
liant cor æterni Patris, sceleribus adul-
torum induratum, & ad publicas pœ-
nas inflammatum leniant, & flectant
ad misericordiam, ne funditus deleat
Ecclesiam, ne euertat Oeconomias &
politias in genere humano. Et quan-
quàm verè sunt infantes & lactentes,
vt Psalmus nominat: Tamen diuino la-
cte verbi cœlestis nutriuntur, & à Spi-
ritu sancto viuificantur, vt celebrent
laudes Dei, vt seruiant Deo in sanctita-
te & iustitia, & balbutientes ipsorum
preces certò exaudiuntur, vt Reueren-
dum virum D. Philippum Præcepto-
rem, cùm in grauissima deliberatione
paruulos cum pavidis matribus oran-
tes vidisset, ad Reuerendum Patrem D.
Lutherum & Collegas dixisse constat:
Non simus pusillo animo. Iam enim

vidi eos, qui pro nobis pugnaturi sunt,
qui nos defendent, qui contra vim om-
nem inuicti erunt & manebunt. Ma-
trum & paruulorum preces audiui,
quas Deus non est surdis auribus audi-
turus. Neq; eas adhuc neglexit opti-
mus Pater Domini nostri Iesu Christi,
nec porrò, vt speramus, negliget. Ex-
ceptus fuit hic sermo vt felix & fau-
stum omen, ac ostendit euentus, illam
deliberationem beneficio Dei saluta-
rem fuisse Ecclesijs, & afflictionem im-
minentem lenisse. Quæret à me quis-
piam, cur Deus adolescentulorum con-
suetudine & officijs tantopere delecte-
tur, cum in adultiori ætate præstantio-
ra ornamenta insint, quæ diuinæ bene-
uolentiæ commendationem merean-
tur? Editur in lucem foetus tener ac
mollis, & in miserabili nuditate ac fra-
gilitate summa, qualis in vlllo animante
vix reperitur, suam ipsius miseriam &
sordes multiplices cum gemitu deplo-
rat. Et cum paulatim è carcere & squa-
lore cunarum virtute membrorum sese
erigere

erigere incipit, reptilium instar habet,
& in puluere terræ adhærescens foeda
illuue sæpe molestus est & ingratus
parentibus, etsi mirabilis sopor & flam-
mula amoris in ipsorum pectoribus ac-
censa, deformis nati curam deponere
non sinit. Mox ubi per ætatem & ser-
monis & reliquorum membrorum fa-
cultate perfectius utitur, in humido ad-
huc & molli corpore varij morbi ægro-
tationesq; nascuntur, & sæpenumero
cum ipso ortu plurimæ mortis causæ
puerorum vitæ impendent. Hi etiam
in sano atq; integro statu corporis pro-
pter virium imbecillitatem nihil præ-
clarè faciunt, & succo genuino luxuri-
antes in diem viuunt. Non publica
munera capessunt, nec contrahendis
negotijs occupantur. Non Respublicas
constituunt, non Ecclesias regunt, non
ordinant gradus hominum, non Oe-
conomicis officijs & laboribus rem fa-
miliarem augent, deniq; ad commu-
nem utilitatem generis humani nihil
operæ salutaris conferre videntur. Ho-
rum

C 5 rum

rum igitur ætatem tantopere curare
Deum, & negligere præclara opera
adultorum, absurdum videtur homini-
bus politicis, qui capti magnificentia &
venustate officiorum in vita ciuili, ar-
roganter aspernantur obscura puero-
rum agmina, & longè anteferunt reli-
quarum ætatum ornamenta, quæ in
publicis muneribus maiori splendore
in oculos incurrunt. At difficile est hoc
de omnibus affirmare, ideoq; certum
est, quid respondeam: Nihil de dignita-
te vllius ordinis detraho, nec delector
ista Cynica Philosophia, quæ omnes
ordines hominum, omnia vitæ genera
vituperat. Melius & humanius Ari-
stoteles iudicat, non ex medico & me-
dico, sed ex medico & agricola, hoc
est, ex multis ordinibus & quasi gra-
dibus hominum constare Rempubli-
cam. Singulis igitur suum honorem
tribuo, & adultos homines, qui in offi-
cijs superioribus Ecclesiæ Dei & Rei-
publicæ præclaram operam nauant,
Deo & charos & acceptos esse fateor.
Etiam

Etiam illud adiungo, sapius ad honores & existimationem consequendam superiorum munerum administrationem & ætatis prærogatiuam suffragari, quàm ordinis & loci inferioris obscuritatem. Atq; idem ego contendo, reliquæ vitæ munera, honores, gloriam, ornamenta & præsidia quæcuncq; ex benè informata adolescentiæ studijs atq; virtutibus existere. Etenim sola hæc ætas illam præstantiæ laudem merito sustinet, quod omnia salutaria negotia & summa opera in toto genere humano eius felici studio atq; industria confici oporteat. Nam vt egenus & inops Agricola spem omnem necessarij victus in tenui agello defixam habet, cuius gremium tempestiua aratione subigit, & occatione accurata semen sparsum cohibet, vt tepesactum humore frugem copiosam fundat: Ita omnis expectatio Dei in ætatis teneræ virtute atq; industria posita est, hanc in primis curat & respicit, hanc ab hominibus præcipuè coli, informari, erudiri,

diri, & velut rem sacram obseruari iur-
bet, quasi nominis diuini gloria, Eccle-
siæ salus, Reipublice stabilitas, sine eius
opera & artibus salutaribus consistere
nequeat. Verissima sunt quæ dico, &
Psalmi testimonio confirmantur, qui
dulcissimè ait: Ecce filij sunt hæreditas
Domini, & fructus ventris est merces.
Sicut sagittæ in manu præualentis: Ita
filij adolescentes. Beatus vir qui imple-
uit pharetram suam de illis, nō confun-
dentur, quando loquētur cum inimicis
in porta. Venusta similitudo est, & gra-
ta bonis mentibus. Ait felicem sobo-
le melle donum Dei, & adolescentes
ab ipso Deo instrui sapientia, virtute,
consilio, motibus Heroicis & autorita-
te, vt res præclaras gerant atq; efficiant
in genere humano. Ac vt sagittæ vali-
da manu contortæ feriunt metam, nec
in cursu suo impediuntur: Ita pingit
hos adolescentes sine impedimentis
volitare, & lætis successibus florere in
mundo, propagare gloriam Dei, erige-
re Ecclesias afflictas, colligere cœtus
hominum,

hominum, eosq; inter se deuincire honestarum legum vinculis, instaurare Respublicas, constituere Imperia, defendere honestam disciplinam & pacem publicam, & in tantorum munerum administratione omnibus omnium hostium furoribus atq; conatibus superiores esse. Hæc verissimè ad adolescentiam congruere omnes fani etiam experientia edocti fatentur. Suppeditat enim lætissima semina Ecclesiæ velut renascentis, & plantulas amœno flore luxuriantes, quibus Deus olim cum ingenti voluptate vsurus est ad illa summa opera in rebus humanis, ad illustrem gloriam nominis sui in Ecclesijs & Scholis propagandam, ad Rempublicam in pace & honesta disciplina gubernandam, ad vniuersam generis humani societatem in Politijs defendendam & conseruandam. Floruerunt in genere humano magnitudine rerum gestarum Cyrus, Alexander Magnus, Iulius Cæsar, & alij præstantes viri, quorum virtus etsi à natura quædam

quædam femina & impetus habuit:
Tamen in adolescentia ex liberali in-
stitutione & assuefactione radices egit,
& progressionem ætatis aucta, in sum-
mo fastigio laudis & gloriæ ipsos col-
locavit. Contra in Sardanapalo, Cali-
gula, Nerone, & similibus portentis,
neglecta & corrupta prima ætas ge-
nerosam indolem virtutis & ingenij
prorsus extinxit, & ad tetra scelera &
confusiones turpissimas in genere hu-
mano ipsos instruxit. Adeo reliqua stu-
dia vitæ totius adolescentiæ Tyrocinia
imitantur. Et vt Ecclesia sit felicior, vt
floreant Respublicæ & Oeconomix,
præcipua adiumenta & præsidia in
adolescentiæ studijs posita sunt. Nihil
detraho omnipotentix Dei, sed de or-
ganis actionum diuinarum loquor,
quæ liberrima voluntate Deus inter
homines elegit & constituit. Grauis-
sima vox est Filij Dei aduersus fremen-
tes Phariseos Lucae 19: Dico vobis, si hi
tacuerint, lapides loquentur. Vult igi-
tur teneros adolescentulos esse præco-
nes

nes laudum diuinarum, & conseruato-
res optimi status rerum priuatarum &
publicarum in genere humano. An vos
existimatis? cum Deus vocem Euan-
gelij perpetuò in mundo sonare velit,
iuxta Pauli testimonium: Mortem Do-
mini annunciabitis, donec veniat: in
hac naturæ communis fragilitate sup-
petere posse, qui senescentis Ecclesiæ
ruinas instaurent, nisi ex agmine pio-
rum adolescentum in Scholis discen-
tium, Ecclesia subsidium necessarium
& salutaria incrementa consequatur.
Sunt enim scholæ piarum Ecclesiarum
pulcherrimæ politia Dei, continentes
magnum numerum adolescentiæ, quasi
fœcundum & salutare semen, quo sub-
inde renascitur Ecclesia, & ad perpe-
tuitatem in genere humano conserua-
tur. Ac mihi sæpius cogitanti de Co-
loniis vrbium ac gentium, quæ ex vno
loco in alium ducuntur, similitudo
quædam in Scholis expressa videtur.
Nam vt Scholæ sunt præstantissimæ
officinæ bonarum artium veræq; pie-
tatis:

tatis: Ita simul sunt Ecclesiae semina-
rium, in quo honesti adolescentes velut
plantulae integerrimae ad frugem in-
formantur, & cum initijs doctrinae coe-
lestis tum aliarum vtilium rerum atq;
artium cognitione imbuuntur, vt in
vera notitia Dei & piorum cultuum
exercitijs pubescant, & per aetatem ve-
lut herbescentes ac optimam spem co-
piosae frugis ostendentes, in Ecclesiam
tanquam Coloniam exeant, vbi doctri-
na vberiore exculti atq; conformati
sensim adulescant, donec ad vsus ne-
cessarios adhibiti gratissimos fructus
& odores bonae fragrantiae ipsi Deo
adferre possint. An vero putatis? poli-
tias in genere humano, quae sunt Ec-
clesiae Dei & Scholarum hospitia, suae
stabilitatis praesidia & dignitatis or-
namenta in magnis confusionibus re-
rum humanarum & varietate casuum
aduersorum, retinere posse, nisi sapien-
tissimae iuuentutis opera fulciantur, &
quae delapsa prius fluxerunt, eius consi-
lio & industria recuperentur? Quid e-
num

num Oeconomias florentes atq; beatas fore speratis, si tenera ætas malis artibus & flagitijs domesticis ad publicam perniciem instructa fuerit? Plato in 6. de Legibus rectè censet Legislatori quocunq; loco in hanc curam omni studio incumbendum esse, vt adolescentia liberaliter educetur & instituatur. Et verè iudicat Aristoteles, vt homines idonei sint ad domos, familias, ciuitatesq; regendas & constituendas, ante vsum Politicæ, prius ingenia & mores singulorum per Ethicam doctrinam informandos esse, vt Imperia & Legum vincula patiantur, nec sine educationis & disciplinæ priuatæ studio vel ciues bonos, vel Oeconomias felices, vel Respublicas beatas existere posse. Ego verò dies noctesq; de eo, vt debeo, cogitans, varios duntaxat vitæ nostræ casus & incertos euentus valetudinis extimesco, doleoq; cum Ecclesia politijs inserta, vna cum his in præsentî rerum statu perpetuò manere debeat, eius in-

D

columita-

columitatem & salutem omnem in
ætatis tam infirmæ studio consistere.
Si verò ad naturæ fragilitatem aliunde
aliquid sceleris accedat, quem precor,
etiãsi velit, rebus communibus Ec-
clesiæ & Politiarum opitulari posse
credemus? Quam rem? quam spem?
quod animi solatium rudis & imperita
ætas adolescentum posteritati præsta-
bit? Quæ adiumenta successuum? quæ
laudum ornamenta sperabunt patria
dulcis, Ecclesia, Respublica, si optimè
nati adolescentes, quorum virtute ea,
quæ summa sunt, continentur omnia,
sine literis, sine doctrina, sine virtutum
studijs, sine consilio & ratione ad pu-
blicam quasi calamitatem succreuerint?
Si illa ipsa virtus, quæ perculsa & pro-
strata excitare poterat, prauis studijs
elisa, illa etiam, quæ firmissima puta-
bantur, labefactare conabitur? Nemo
igitur miretur, puerilem ætatem Deo
esse charissimam: Ideoq; omnes parètes
propter amplissimum vsum, quem in
omnibus

omnibus partibus humani conuictus animaduertunt, ferio obtemperare decet mandato Pauli dicentis: Patres educate liberos vestros in doctrina & disciplina Domini. Quæ res? quis cultus? quod munus Deo gratius & generi humano vtilius esse potest, honesta educatione & liberali institutione puerilis ætatis, cum rerum maximarum momenta in eius felicitate & viribus conquiescant? At quanta sit multorum parentum incuria, quanta leuitas, quam omnibus modis detestanda ignauia & negligentia in re maxima & valde necessaria, quotidiana exempla testantur. Paulus breui Aphorismo copulat vtramq; partem rectæ educationis, institutionem & castigationem, cum voluntate Dei congruentem, vt liberi adducantur ad Deum, & quasi destinentur ad vsus Deo gratos, totiq; generi humano salutare. Nunc verò ceu peculiari fato postremorum temporum non solum publici mores quotidie de-

D 2 teriores

teriores fiunt in Cyclopico legum contemptu, & scelerum audacia, sed etiam domestica Pædagogia propter indulgentiam parentum adeo languescit, ut cum rarissima doctrinæ salutaris ac disciplinæ vestigia in plerisque familijs reperiantur, ætas tenera vitiorum contagijs imbuatur, ad ferociam & petulantiam instruatur, ad vitæ licentiam inuitetur, quæ paulatim in animis confirmata paulo post maiorum calamitatum & confusionum causa futura est. Quanta cura olim Persæ, Græci, veteres Romani, & reliquæ gentes non omnino barbaræ adolescentiam educarint, Historiæ testantur. In Alcibiade Platonis recitatur Lex Persarum de regia sobole & quatuor eius Magistris, accurato iudicio delectis, quorum sapientissimus Regem adolescentulum doceret sapientiam Magorum, hoc est, rerum diuinarum & humanarum cognitionem, ad religionem & pietatem vitæ necessariam, sicut Cicero hinc
mutua-

mutuatus affirmat, neminem potuisse
Regem Persarum esse, qui non antè
Magorum disciplinam sciētiamq; per-
cepisset: Iustissimus assuefaceret ad
veritatem, iustitiam, æquitatem in gu-
bernatione & contractibus: Tempe-
rantissimus præciperet modestiam, hu-
manitatem, moderationem in cibo, po-
tu & exercitijs naturæ conuenientem:
Fortissimus deniq; animi magnitudi-
nem excitaret in subeundis periculis, &
rogatis virtutibus adderet artes mili-
tares. Hanc regiam institutionem imi-
tata fuit priuatorum Pædagogia in
Persis, quorum natio cùm aliarum vir-
tutum, tum veritatis, iustitiæ & tem-
perantiæ in primis studiosissima fuit.
Ciuitates Græcæ amantes legum, di-
sciplinæ, artium liberalium, & pulcher-
rius gubernationis, moribus adoles-
centiæ peculiare Magistratus & σωφρο-
νιστῆς constituerunt. Cicero Senatum
Romanum laudat, quòd florente Im-
perio decreuit, vt de principum filijs



sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars diuinandi propter tenuitatem hominum à religionis autoritate ad mercedem & questum abduceretur. Ac præclarè senserunt veteres Romani, se non sibi tantùm genuisse liberos, sed Reipublicæ & patriæ, ac per exiguam ipsorum partem sibi relinqui. Quàm honesta & plena grauitatis est oratio Praxitheæ vxoris Cephisi, cum in magno periculo filiam innocentem vltro pro patria maclandam offert:

τέκνα τῶν δ' ἔκῃ τὴν κτομερ,
 ὡς θεῶν τε βωμῶν πατρίδα τε ζυώμεθα,
 πόλεως δ' ἀπάσης τὸ νομὸν ἐν πολλοῖς τεθέρ
 νόμοισιν.

Eadem tales sibi liberos optat, qui pro patria, pro legibus & disciplina honesta fortiter præliantes occumbant, non tantùm sint ἀήματα ἐν πόλει, id est, simulachra inania, similia picturis, quæ ad oblectationem & oculorum voluptatem parietibus affiguntur. Hæc generosi

nerosi animi præclara significatio, si in
Praxithea muliere Ethnica magnope-
re laudanda est, vt à Lycurgo meritò
celebratur: Quanto vituperio & odio
dignam iudicabimus flagitiosam so-
cordiam & negligentiam quorundam
parentum inter Christianos, qui dum
non considerant dignitatem & utilita-
tem adolescentiæ, etiam honestæ edu-
cationis necessitatem obliuiscuntur,
ideoq; liberos à natura procliues ad li-
bidinem, rationeq; & consilio parum
firmatos, suo impetu ferri sinunt ad
scelera & turpitudinem, vt paulatim
crescente cum vitij's ætate, vel fiant in-
utilia terræ pondera, vel pestes gene-
ris humani, vasa iræ, & organa Diabo-
li ad augendas confusiones & publicas
calamitates: Quin potius hoc cogitent,
non casu offerri, nec ad inanem oble-
ctationis fructum concedi liberos, sed
& donari & velut depositum precio-
sum commendari à Deo, vt ad pieta-
tem, ad officia virtutum, & vitæ ciuilis

cultum, ad opera salutaria rebus huma-
nis liberali educatione parentum du-
cantur & assuesciant. Vt enim vita ho-
minum varijs rebus è terra nascenti-
bus sustentatur: Ita ciuilis societas in
genere humano virtute & officijs pau-
latim crescentium & augeſcentium
puerorum conseruatur. Interim non
perit iucunditas & oblectatio, quæ in
pueris maior esse solet, quàm in adultis,
& ex diligenti cultura parentum ac
præceptorum subinde maiorum deli-
tiarum cumulus ad pristinam volupta-
tem accedit. Nam vt in amœnissimis
hortis ex diuersis viribus herbarum,
suauitate florum, & odorum fragran-
tia voluptas mirifica percipitur: Ita in
Oeconomijs honestis & Scholis rectè
constitutis operæ suauis atq; exercitia
adolescentiæ omnes Adonidis Alci-
noicq; hortos iucunditate superant. In
illis enim Deus ipse præsens cum in-
numeris Angelorum millibus, inte-
gritate & simplicitate puerorum, velut
herbarum

herbarum & florum amœnitate dele-
ctatur, ac Filius Dei $\phi\upsilon\tau\alpha\rho\gamma\iota\varsigma$ tenera in-
genia ducit, format, & nouo succo ver-
bi sui imbuit, horum contemptas ope-
ras velut primam frugem amat ac pro-
uehit, & grauiorum laborum floscu-
los cum ingenti lætitia decerpit, quos
iam vigentes & odore suauissimo blan-
dientes, efficaci rore Spiritus sancti
subinde rigat & viuificat, vt suo tem-
pore vsum gratissimum & fructus
Deo placentes in Ecclesia & Republi-
ca præstare possint. Ac ne quicquàm
eorum, quæ sentio, dissimulem, omni-
nò sic statuo, & sic animum induco me-
um, puerorum agmina in pijs Scholis
& Oeconomjs hoc misero statu na-
turæ corruptæ imaginem quandam
referre horti illius Edomæi, quem pri-
mi parentes sancti adhuc & inculpati
non sine voluptatis integerrimæ sensu
incoluerunt. Vt enim Deus in beatif-
simo statu integritatis humanæ cum
primis parentibus familiarissimè ver-

D ς fabatur

fabatur in Paradiso, communicans eis suam sapientiam, & conformitate ipsorum gaudens: Ita non dubium est, post miserum lapsum, quo iucunda societas cum Deo, & possessio beati illius horti amissa fuit, voluisse Deum vestigia quædam illius consuetudinis & oblectationis cum genere humano existere in Ecclesia, quã tunc statim edita promissione condidit & instauravit. Non enim ad tristem interitum conditum fuerat genus humanum, nec frustra tot ac tam diuinis donis ornatum. Ideoque Filius Dei Intercessor & Deprecator ex inenarrabili amore factus, homines rursus cum Deo coniunxit, primusque autor fuit nouæ Ecclesiæ, & conditor ac *φύραρχος* horti recentioris, cuius delictijs in omni æternitate frui cupit. Vbi igitur summa voluptas & efficacia salutaris Dei præsentis quærenda est: nisi in coetu veræ Ecclesiæ, nisi in pijs familijs & Scholis, quæ Paradisi illius similitudinem ita gerunt, vt in locum eius successisse videantur.

Sed

Sed has delitias & φιλωργιαρ Filij
Dei varijs modis impedire conantur
Diaboli, qui nunc in hac senecta mun-
di propter conspectum iudicij appro-
pinqnantis, & præsensionem æterna-
rum pœnarum rabiosius grassantur, &
maiori contentione corporibus, inge-
nijs atq; animabus adolescentum insi-
diantur. Non enim ignorant, quanta
præsidia senescentis Ecclesiæ, quanta
vitæ communis adiumenta & commo-
da sustineat ætas tenera, optimis rebus
piè & honestè instituta. Norunt regni
sui calamitatem & ruinam, quæ since-
ris studijs adolescentiæ attrahitur. No-
runt consilij & virium imbecillitatem,
norunt occasiones omnes, quibus ea
facilimè capi & deliniri possit. Præsto
sunt igitur hostes audaces, astuti & cru-
deles, qui dira malevolentia suffusi ad-
uersus incorruptam ætatem, eam si
euertere nequeunt, omni scelere ac tur-
pitudine contaminare student. Etsi
autem corpora periculis obijcere, &
animos

animos à Deo auertere conantur, pro-
pterea, quòd puerili ætati amplissi-
mam illam gloriam inuident: Tamen
Filius Dei inter insidias & furores
acerbissimorum hostium beneuolen-
tiæ suæ magnitudinem illustrioribus
testimonijs explicat. Non enim sine
Duce & comite vagari finit imbelles
& inermes adolescentulos, sed firmissi-
mis præsijs eos munit, vt assiduè cir-
cumuolent sancti Angeli, spiritus casti,
veraces, benefici, confirmati in bono.
Et quanquam præstantiore natura
præditi perpetuò viuunt in beata con-
suetudine Dei: Tamen iussu & ordina-
tione sui Principis, Filij Dei, ad mini-
steria sordide atq; contemptæ ætatis se
demittunt, & verè sunt λειτουργικά πνεύ-
ματα, diurnas & nocturnas excubias
agunt pro pueris, & arcant infinita pe-
ricula, quæ omnibus momentis vndiq;
impendent. Viuunt præterea in dulci
complexu parentum & præceptorum,
qui mandato Dei in hac ciuili societate
constituti

constituti sunt, vt tenellos animos non
solum erudiant veris sententijs de Deo,
de Filio Mediatore, de magnitudine
& causis peccati, de modo reconcilia-
tionis & iustificationis, de exercitijs fi-
dei, inuocationis, dilectionis & timo-
ris Dei, sed etiam naturali imbecillitate
ad peccandum impulsos sua castigatio-
ne in viam reducant, & cum suo exem-
plo tum salutaribus praeceptis aduer-
sus illecebras Diaboli & vitiosos ho-
minum mores, ipsos muniant. Haec
officia magnifice praedicat Filius Dei,
cum inquit: Si quis receperit puerum
talem in nomine meo, M E R E C I P I T.
Vult recipi honestos pueros, hoc est,
liberaliter & pie educari, monitis atque
exemplis maiorum ad veri Dei agni-
tionem duci, honestis laboribus ab
otio ad diligentiam vocationis & pio-
rum cultuum exercitia inuitari, & mo-
deratis officiolis ad communem vitae
cultum ac societatem ciuilem praeparari.
Huius diligentiae munera tam sibi
grata

grata esse affirmat, ac si in se collocata
sint, ideoque pro his amplissima præmia
& remunerationem corporalium atque
æternorum bonorum pollicetur, in-
quiens: ME RECIPIT. Contra verò
his, qui scandalis corrumpunt infirmam
ætatem, aut sua neglectione in rerum
omnium ignoratione & vitiorum li-
centia adulescere sinunt, tristibus pœ-
narum minis exitium miserabile de-
nunciat, cum fatius esse confirmat, in
profundo maris submergi, hoc est, cru-
delissimo genere mortis perimi, quam
pro neglectione aut offensione inno-
centis ætatis præsentibus atque æternis
pœnis deuoueri.

Exposui dignitatem adolescentiæ,
& causas beneuolentiæ atque amoris di-
uini, quas verissimas esse non dubito.
Congruunt enim non cum politicis iu-
dicijs, sed cum testimonijs diuina voce
traditis in Ecclesia Filij Dei, & ado-
lescentes excitant, vt ab ineunte ætate
rectissimis studijs ad optima contem-
dant,

dant, & excellentem gloriam, qua coram Deo & sanctis Angelis florent, perpetuò retinere studeant. Sciant non frustra præcipi à Paulo: Discant & nostri bonis operibus præesse, ad vsus necessarios, ἵνα μὴ ὡσπερ ἄκαρποι, sed necessitatem discendi, & studium optimarum rerum à Deo sibi imponi, imò salutarem gubernationem Ecclesiæ, Politiarum, Scholarum, vitæ publicæ ac privatæ in sua felicitate, industria & virtute collocari. Huic expectationi diuinæ Maiestatis satisfacere, & laudem ætatis vulgo neglectam ab obliuione hominum, à silentio, ab insidijs & contumelijs improborum hostium vindicare conentur. Sciant ad se quoq; pertinere terribile illud Epiphonema hodierni festi: Væ habitatoribus terræ & maris, quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, cum sciat quòd breue tempus habeat. Ideò in agnitione potentiæ Diabolicæ & propriæ infirmitatis ardentius colant pietatem, modestiam,

modestiam, sobrietatem & cæteras vir-
tutes. Non abijciant timorem Dei, fi-
dem & inuocationem, sed exercitijs
veræ poenitentiaë seipfos muniant ad-
uersus securitatem, astutiam Diaboli,
flammas cupiditatum, & illecebras
mundi. Fugiant societatem & consue-
tudinem malorum, vitent occasiones
peccandi, quæ in magnis confusio-
bus postremorum temporum crebrio-
res sunt, deniq; in tota morum guber-
natione cauti sint ac circumspecti. Ad
hanc curam adiungant diligentiam in
studijs, & sedulitatem in necessarijs
officijs propriaë vocationis, & gratias
agant Deo, quod ipsorum ætatem sibi
charissimam esse testatur, eamq; præcla-
ris laudibus ornat in verbo suo, ac vt
eam in tanta fragilitate clementer re-
gat & adiuuet, ardentè ab ipso petant.
Oro igitur toto pectore Filium Dei,
Dominum nostrum Iesum Christum,
custodem & gubernatorem agminis
nostri, quod vera & inenarrabili sopryñ
comple-

complectitur, vt inter horrenda scan-
dala mundi senescentis, & varia impe-
dimenta Diabolorum, infirmam æta-
tem nostram clementer seruet & gu-
bernet, & nos infantes atq; lactentes
cœlesti lacte verbi sui nutriat ac eru-
diat, vt pijs studijs & honestis labori-
bus nostris retineamus gloriam diui-
nitùs nobis attributam, & simus orga-
na misericordiæ, destinata ad vsus
ipsi placentes, & nobis atq;
vniuerso generi hu-
mano salutare,
Amen.

D I X I,

E ALTE-



ALTE RA O RA

TIO DE CAUSIS FELICIVM

successuum in studijs, & qualibet uocatione,

ex uerbis Petri: Præceptor in uerbo tuo

laxabo rete, Lucæ V.



Cogitanti mihi sæpenumero
& animo repetenti excel-
lentem sapientiam veterum
Græcorum, quam à sanctis
Patribus acceptam fuisse
Historiæ tradunt, in ijsdem celebranda
videtur singularis cura honestarum le-
gum, quibus & Respublicas pulcher-
rimè constituerunt, & animos suorum
ciuium ab amore vitiorum ad multa-
rum virtutum officia paulatim tra-
duxerunt. Non enim ignorârunt, ad
vitam & mores hominum regendos
plurimis præceptis opus esse, eaq; in
magna imbecillitate naturæ obliuione
& squalore obrui, nisi autoritate pu-
blica stabiliantur, & assidua repetitio-
ne inculcentur. Ideò Plato in Charmide
testa-

testatur, γνώμας insigniores, quæ vitæ
regulas continerent, ab Amphictioni-
bus templi Delphici foribus inscriptas
fuisse, vt perpetuò in oculis & memo-
ria hominum versarentur, sicut Deus
Israëlitico populo de suis Legibus per
Mosen præcepit: Erunt verba mea in
corde tuo, & acues ea filiis tuis, & liga-
bis ea, quasi signum, in manu tua,
eruntq; in monimenta inter oculos tu-
os, scribes ea in limine & ostijs domus
tuæ. Talis γνώμη fuit omnium veterum
sapientum sermone celebratū Apoph-
thegma: γνώθι σεαυτόν. Cuius tantam vim
tantamq; sententiam esse Cicero con-
firmat, vt ea non homini cuiquam, sed
Delphico Deo tribueretur. Continet
enim salutare præceptum de duabus
pulcherrimis virtutibus, Modestia &
Gratitudine, quæ reliquarum omnium
facile principes sunt, sicut Cicero ad Q.
fratrem scribit, non solum ad arrogan-
tiam minuendam, sed etiam vt bona
nostra norimus, illud γνώθι σεαυτόν di-
ctum esse. **MODESTIA** cum agnitione

E 2

pro-

propriae infirmitatis coniuncta docet
timorem Dei & veram humilitatem,
ac frenat homines, ne in opinione, ser-
mone aut actionibus supra vires suas
se efferant, nec erumpentes extra voca-
tionem aliena & non necessaria susci-
pian cum contemptu aliorum, sed in
timore Dei faciant propriae vocationis
officia, & humili affectu alijs suum lo-
cum tribuant, & in gestibus non disce-
dant ab ordine nature, temporum, per-
sonarum & locorum. GRATITUDO
veritatem & iustitiam complectitur,
iubet singulos intueri & agnoscere do-
na Dei, magnificare ornamenta & be-
neficia diuinitus in se collata, & vicissim
cum gratiarum actione obedire Deo,
conferre dona ad communem vtilita-
tem generis humani, vt honore afficia-
tur Deus, vt nomen eius in mundo
propagetur ac celebretur. Etsi autem
in rebus humanis opus difficilimum
est, recte seipsum nosse: Tamen cum in
eo res praecipue ad bene beateque viuen-
dum

dum insint, diligenter illud Δελφικὸν ἐπι-
γραμμα meminisse debent omnes ho-
mines, maximè verò Adolescentes,
quorum ætas imbecillior in magna &
sui ipsius & verarum virtutum ignora-
tione versatur. Est omninò in adoles-
centia maior imbecillitas, quàm in reli-
quis ætatibus, non solùm propter cor-
poris molliciem, & incertos valetudi-
nis ac mortis euentus, sed etiam pro-
pter consilij inopiam, & rerum bona-
rum inscitiam, quam teneris mentibus
infixam esse vita communis testatur.
At contrà, lucet in eadem miranda di-
gnitas. Ac toties sacræ literæ amplissi-
mis Encomijs & testimonijs pulcher-
rimis confirmant, eius felicitate & in-
dustria Deum res maximas gerere in
mundo, conseruare Ecclesias & Poli-
tias, gubernare societatem generis hu-
mani, propagare gloriam suam in ter-
ris, omniaq; vitæ publicæ ac priuatæ
commoda sustentare & augere, vt ve-
rissimum sit illud oraculum diuinæ



vocis ad Paulum: Virtus mea in infirmitate perficitur. Horum neutrum in seipſis agnoſcunt Adoleſcentes, ideoq; modeltiam & gratitudinem negligunt, imò in contraria vitia repentino impetu, quaſi vento quodam incitati, plerunq; ruere ſolent. Illa verò ignorantia omnium maxima eſt, quòd neglectis laudibus diuinis, quas propter futuram vtilium & ſalutarium rerum adminiſtrationem ſibi tribui audiunt, non intelligunt ordinem & modum actionum in verbo Dei patefactum, cui ſucceſſus felices & proſperi euentus in qualibet vocatione reſpondent. Quod igitur Paulus Timotheo præcipit: Non negligas donum, quod datum eſt tibi, omnibus adoleſcentibus ſemper in conſpectu eſſe debet, vt ſeipſos rectè norint, vt imbecillitatem virium, & dignitatis ornamenta in primis, intelligentes, ament honeſtarum virtutum exercitia, deniq; vt cauſas felicium actionum in ſtudijs & reliqua vitæ
totius

totius consuetudine ex verbo Dei cognoscere & imitari discant. Hæc ideò commemorauí, vt præter commendationem puerilis ætatis, quæ aliàs à m-
exposita fuit, ad veram pietatem, modestiam, gratitudinem & cognata-
virtutes adolescentes excitarem. Nunc de causis felicitum successuum in studijs & vitæ actionibus commonefactiones addendæ videntur, vt cognoscant adolescentes, quibus rationibus diuinæ expectationi satisfacere, & suam aliorumq; salutem in terris promouere ac tueri possint.

Cùm vitam hominum & actiones omnes verbo Dei gubernari necesse sit, iuxta dictum Psalmi: Lucerna pedibus meis verbum tuum, vt mentes habeant firmam consolationem, nec inani sollicitudine & cura euentuum frangantur, multas vitæ regulas passim in scripturis recitat Spiritus sanctus, vt Psal. 37: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, &



victum quære honestè. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Commenda Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Subditus esto Domino, & ora eum. Et alibi Psal. 127: Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant, qui ædificant eam. Frustra est vobis ante lucem surgere &c. cum det dilectis suis etiam dormientibus. Matth. 6: Non sitis solliciti. Primùm quærите regnum Dei & iustitiam eius, & cætera adiicientur vobis. 1. Theff. 4: In hoc ambitiosi sitis, vt quiescatis, & propria agatis, & laboretis proprijs manibus vestris. Sed valde dulcis est Euangelica narratio Lucae 5. de piscatione Petri. Quia exemplo illustri depingit ordinem actionum salutarium, quem in omni vocatione obseruare prodest. Cùm enim Petrus artem suam aptissimo tempore noctis non sine labore difficili tentatam, infelicem esse videret, exemplo piæ multitudinis vltro se ad Filium Dei



Dei docentem applicat, audit dulcissimas eius conciones, & in littore maris errantem nauicula excipit, vt loco tutiore populum imminentem erudiret. Hinc piscationem in alto experiri iussus agnoscit virium suarum infirmitatem, & laboris infelicitatem querula voce deplorat, clamans: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Nihilominus obtemperat voluntati iubentis, & debitas operas suæ vocationis exercet fiducia mandati, non artis aut industriæ suæ, quemadmodum testatur inquiring: In verbo T V O laxabo rete. Interea dum pendet euentus, non angitur inani sollicitudine, nec mora fractus abrumpit susceptos labores, sed constanter vrget officia vocationis spe auxiliij diuini, quod internis gemitibus implorat. Tandem non modò euentum laboris supra humanam expectationem & artis experientiam feliciorum consequitur: verum etiam conspectu miraculi inusitati ad

E s agni-

agnitionem diuinæ potentiaë & suo-
rum peccatorum adducitur, & in so-
cietatem ἰὼ ζωῆς ἁγίων in ministerio af-
sumitur. Hæc venusta imago quatuor
excellentes virtutes ad studiorum &
cuiuscq; vocationis prosperitatem ne-
cessarias depingit, nimirum: PIETA-
TEM, quæ ardens studium verbi cœle-
stis & cultuum Moralium exercitia
complectitur: MODESTIAM, quæ ag-
noscit communem hominum imbecil-
litatem, & vero gemitu abijcit se coram
Deo: SEDVLITATEM quæ in neces-
sarijs officijs propriæ vocationis debi-
tam fidem & diligentiam præstat:
PATIENTIAM deniq; cum inuoca-
tione & fiducia diuini auxiliij coniu-
ctam, quæ non frangitur mora succes-
sum, sed euentus salutares ac prospe-
ros iuxta consilium Dei expectat.

Vt igitur conatus nostri in studijs
felices sint, ac salutares nobis atq; alijs,
primùm sciamus, quærendum esse re-
gnum Dei & iustitiam eius, hoc est, re-
quiri

quiri à nobis , vt veræ Ecclesiæ inserti,
totam doctrinam Euangelij diuinitus
patefactam, ardenti studio discamus,
& iuxta eam non modò accipiamus
æterna beneficia, fiducia Filij Dei Me-
diatoris, verumetiam in fide & bona
conscientia Deo constanter obtempe-
remus. Homines enim sapienti delibe-
ratione Dei non ideò conditi, & post
miserrimum lapsum à Filio Dei re-
dempti sunt, vt in terra repentes omnia
studia, omnes cogitationes suas ad
contemplationem & curam præsen-
tium bonorum conuerterent. Dei ima-
go sunt, vera luce, vera sapientia, iusti-
tia & sanctitate imbuta: Imò singulare
speculum Filij Dei, immensa bonitate
ad cultus ipsi placentes assertum, quos
& in hac vita & in tota æternitate præ-
stare debent. Ingens profectò gloria
est, quòd Moses expositurus imagi-
nem Dei, confirmat, inspirasse Deum
in faciem hominis spiraculum vitæ. Si-
gnificat enim in homine fuisse excel-
lentem

lentem vim quandam ex Dei ipsius pe-
ctore profectam, & halitu communi-
catam, quæ non solum vitam & δύναμιν
ciendi actiones naturales corpori sup-
peditarit, sed simul vexerit radios di-
uinæ lucis ac iustitiæ, videlicet illustres
& firmas notitias de Deo, de eius vo-
luntate, de veris cultibus, de discrimine
& ordine actionum: Deinde rectitudi-
nem voluntatis, electionem liberam &
Harmoniam pulcherrimam omnium
virium, cum sapientia & voluntate Dei
congruentem. Hæc summa bona etsi
per peccatum amissa fuerunt: Tamen
Deus aliquas reliquias conseruauit, vt
homo deinceps propter simulachra di-
uinarum virtutum inter reliquias crea-
turas excelleret, de Deo testimonium
diceret, ad exercitia piorum cultuum
seipsum excitaret. Et Filius Dei, Me-
diator ac Redemptor, in ministerio per
vocem Euangelij naturam corruptam
instaurat, & imaginem Dei renouat
effuso Spiritu sancto, vt homo verè sit
domici-

domicilium Diuinitatis, & inter im-
mundas exuias corporis initia sem-
piternæ iustitiæ, lætitiæ ac vitæ secum
circumferat. Propter hæc præclara or-
namenta conseruata post lapsum, &
propter immensa beneficia Filij Dei,
prorsus necessaria est Pietas vera & ar-
dens in homine, agnitio, inuocatio,
confessio & celebratio veri Dei, vt vi-
cissim obedientia & gratitudo aliqua
tam benigno Conditori & Redemp-
tori præstetur. Etsi autem hanc verissi-
mam causam generis humani conditi
& redempti sola Ecclesia intelligit &
declarat: Tamen Philosophia ex funda-
mentis humanæ rationis similiter sta-
tuit, omnes actiones principaliter ad
ipsum Deum referendas esse, vt ipsi ali-
quis honos & cultus à nobis tribua-
tur. Talis est Stoicorum sententia, quæ
inter plurima absurda ἀξιώματα instar
gemmæ radiantis effulget: Omnia
hominum causa nascuntur, homines
verò propter Deum. Plato de legibus
religiosè

religiosè & rectè sentit, Coniugij le-
ges propter naturæ humanæ perpetui-
tatem sancitas esse, vt continua succes-
sione liberi liberorum relinquuntur,
qui loco & more maiorum sint cultores
Dei. Et Cicero præclarè ait: Deus cæ-
teras animantes humiles & pronas, ad
terræ solius aspectum & varios eius
pastus abiicit: solos homines humo ex-
citos, erectos & cellos constituit, ad
coeliq; quasi cognationis & domicilij
sui conspectum excitauit. Sunt enim è
terra homines non vt incolæ & habita-
tores, sed quasi spectatores superarum
rerum atq; cœlestium, quarum specta-
culum ad nullum aliud genus animan-
tium pertinet. Hanc notitiam ex reli-
quijs diuinæ Legis & corporis humani
fabricatione haustam, retinuerunt Phi-
losophi, quamuis modum diuinorum
cultuum definire non possent, cum ve-
rum Deum & summa eius beneficia
ignorarent. Ecclesia verò agnoscit ve-
rum Deum, illustribus testimonijs pa-
refactum,

refactum, intelligit normam operum,
quibus se coli præcipit, & grauioribus
causis ad studium sanctæ religionis
veræq; pietatis impellitur. Audit enim
æternum Patrem seuerissimè alligan-
tem vniuersum genus humanum ad
certum genus doctrinæ & cultuum,
cùm de Filio λόγος clamat: HVNC AV-
DITE. Vult ab omnibus omnium or-
dinum atq; ætatum hominibus agnosci
Filium Mediatorem & Redempto-
rem, audiri Euangelium de beneficijs
eius, & exerceri cultus in eo mandatos.
Non ignorat naturale studium religio-
nis, omnium hominum pectoribus in-
fixum, & audaciam rationis, qua &
dogmata plurima & varias cultuum
leges sine fine fingere solet, postquàm
esse numen aliquod excelsum & omni-
potens ex pulchritudine naturæ totius
& ordinata rerum omnium guberna-
tione cognouit. Ideò vniuersum genus
humanum reuocat ad vnam vocem
Euangelij sonantē in Ministerio, eamq;
velut

velut ex arce quadam illustri & loco
excelfo vult præluere omnibus actio-
nibus hominum, & regere mentes, ne
in tenebris & densa caligine rationis à
Conditore longius aberrent, sed ipsi
copulatæ vera luce, sapientia, lætitia &
vita perfundantur. Neq; verò aliter
nobiscum agit Deus, nisi per vocem
Euangelij, neq; aliter sua bona nobis
communicat, quàm in agnitione & in-
uocatione Filij, in quo omnes thesau-
ros sapientiæ & scientiæ, omnem ple-
nitudinem bonorum cœlestium, omne
perfugium atq; præsidium salutis re-
positum esse voluit. In hunc vnum nos
intueri iubet, vt gratiam & misericor-
diam consequamur. Hunc solum à no-
bis agnosci, coli & diligere præcipit, vt
vicissim diligamur, hoc est, præsentia
& æterna beneficia copiosè accipia-
mus, sicut ipse Filius de maximo dono
Spiritus sancti clamat: Si quis sitit, ve-
niat ad me, & bibat. Qui credit in me,
sicut dicit scriptura, flumina de ventre
eius

eius fluent aquæ viuæ. Non nego magna vitæ præsidia & commoda esse, quæ nunc appetuntur ab omnibus, opes, fundos, ampla prædia, reditus vberes, splendida & sumptuosa domicilia: sed hæc neq; sola neq; præcipua bona sunt. Vnum illud intelligunt piæ mentes, veram & ardentem pietatem ad agnitionem & inuocationem veri Dei, ad cultus ipsi placentes, ad victum & amictum felicius acquirendum, deniq; ad cursum vitæ vniuersæ placidè traducendum, plurimum momenti habere, sicut sonant promissiones: Dat dilectis suis etiam dormientibus. Item: Pietas habet promissiones præsentis & futuræ vitæ. Et confirmantur promissiones exemplis sanctorum Patrum, Abrahamæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Davidis, qui sue pietatis fructum vberimum perceperunt. Quid Petrus? cum ad se vltro traduxisset Filium Dei concionantem, & in eadem cum ipso naui sedens doctrinam eius audiisset, nonne suam artem felicissimam esse experitur, quæ

F

ante

ante cognitionem Euangelij nocturno
tempore magnis laboribus frustra ten-
tata fuerat. Quid enim in tenebris no-
cturnis magno etiam conatu rectè &
feliciter geritur atq; administratur,
cùm benigni radij lucis Solaris non
affulgeant? Ita quæ studiorum felici-
tas, quis ordo, quæ utilitas in vita com-
muni esse potest? si desit pietas, si lumen
Euangelij (velut Cynosura nautis)
actionibus necessarijs non præluceat?
Equidem nostræ ætati, quæ plurimis
iniurijs obnoxia esse solet, nullum præ-
sidium ardenti pietate & timore Dei
iuxta verbum, magis necessarium esse
videtur. Quomodo in tanta infirmita-
te nostra occultas insidias potentissi-
morum hostium effugere possumus,
nisi verbi cœlestis luce & sapientia re-
gamur? Quomodo nos aduersus igni-
ta tela Diabolorum vndiq; circumuo-
litantium, aduersus perniciofa mundi
exempla, & illecebras corruptæ carnis
tuebimur? nisi pietatem colamus, nisi
tot scandalis verbi diuini sententias
volut

velut Gorgonem obijciamus, nisi seria
& ardenti inuocatione iuxta verbum
nos erigamus & sustentemus. Non ex-
ternis praesidijs, non vlla vi armorum,
non robore virium nostrarum, non in-
dustria & solertia humani ingenij tan-
torum hostium impetus reprimere aut
frangere possumus. Dei πανοπλία in hoc
certamine opus est, & scuto fidei, quo
omnia ignita tela malorum hostium
extinguere possumus. His armis Spiri-
tus sancti quicumq; destituuntur, facili-
me euertuntur, sicut experimur, animos
multorum vera pietate & diuina luce
destitutos pertrahi in errores, ac postea
sibimetipsis indulgentes ruere in scele-
ra multiplicia & Tragicas calamitates,
vt vox diuina ad Heli Sacerdotem in-
quit: Qui contemnunt me, erunt igno-
biles. Et Propheta grauissimè ait: Ver-
bum Domini proiecerunt, ideò sapien-
tia nulla est in eis. Id est: Errant in con-
silijs, & in actionibus vitæ communis
infelices sunt & inepti. Sit igitur pri-
ma cura discendi doctrinam coelestem

& veram pietatem, ne actiones nostræ
in cursu vocationis impediantur aut
turbentur.

Deinde accedat agnitio propriæ
infirmittatis, quam deploremus in con-
spectu Dei, & seriò fateamur, humanis
viribus solis nihil præclarè & vtiliter
geri posse. Verè dictum est à Platone:
Naturam hominum igneam esse, quòd
pro natura ignis in sublime semper fe-
ratur. Homines enim naturaliter seip-
sos plurimum amant & admirantur, &
ex mediocri donorum præstantia plæ-
runq; altos spiritus sumunt, imò æthe-
ra mente concipiunt, vt de Phaëtonte
canit Ouidius. At in studijs vt familia-
re vitium, ita pestis nocentissima est
arrogantia ingeniorum, qua occupati
adolescentes rarò ad bonam frugem
perueniunt. Tument enim admiratione
sui, & inani persuasionem magnæ sapien-
tiæ suauissimè sibi blandiuntur. Interea
in discendo fiunt negligentiores, & ne-
cessarias partes studiorum, quæ plæ-
runq; aliquid molestiæ & difficultatis
habent,

habent, cum fastidio abiiciunt. Nullam
 artem perfectè cognoscunt, & temerè
 circumuolitant in lectione autorum. Ex
 his delicatas & plausibiles opiniones
 arripiunt, quibus licentius indulgen-
 tes paulatim errorum semina concipi-
 unt, quæ adulti cum suo periculo &
 tranquillitatis publicæ incommodo
 pertinacius defendunt. Ita verissimum
 est illud Biantium: *ὄπισθ' ἐγκοπή τῆς προκο-
 πῆς*. Opinio adfert impedimentum pro-
 fectui. Et meritò talibus accidit, quod
 Seneca scribit, vt necessaria ignorent,
 quia non necessaria didicerunt. Ad sci-
 entia & veritatis cognitionem perue-
 nire potuissent, nisi se iam peruenisse
 putassent. Quare toto pectore amemus
 modestiam, & efferuescentes arrogan-
 tia flammæ cogitatione magnæ infir-
 mitatis humanæ extinguamus. Quæ
 enim causa? quod principium est ortus
 nostri? quæ vitæ totius conditio? Cer-
 tum est, vt vniuersam rerum naturam,
 ita homines à Deo ortos & propagatos
 esse. Neq; negari potest omnium bo-
 norum

porum autorem vnicum esse Deum, & ceu fontem perennem, ex quo pulcherrimorum donorum riuulos in omnes partes naturæ vniuersæ deduci etiam Ethnici senserunt, vt dulcissimè canit Phocylides:

μη γαυρῶ σοφίῃ, μητ' ἀλκῆ, μητ' ἐνὶ πλῆτῳ
εἰς θεὸς ὅσι σοφός, δυνατός θ' ἅμα, ἢ πολυόλβος.

Cùm autem in hominibus singularis quædam præstantia eluceat, quæ cœlestem originem & quasi naturalem cum Deo cognationem habere videtur, nōne causam eius vniuersam & possessionem omnem ad Deum referemus? qui in hac natura hominum imaginem suam, & radios immensæ sapientiæ, bonitatis atq; iustitiæ potissimum fulgere voluit. At materia corporis, in quo præclarissima illa dona imaginis diuinæ habitant, qualis est: num ex cœlesti & immortalī natura deducta? Nequaquam. Moses terrestrem & fragilem glebam nominat, potente manu Dei. sapienter formatam. Hac humili descriptione, quid quæso aliud Spiritus

tus

tus sanctus monere voluit: quàm in vilissimo corporis ortu imaginem humilitatis propositam esse, vt homines ex eius aspectu humilem conditionem suam, ex conditione summam fragilitatem, ex fragilitate modestiam & timorem Dei discerent. Quid igitur vel ex præclaris animæ donis, quæ Deum autorem repræsentant, vel ex pulchritudine & virtute corporis, quod ex puluere terræ à Deo conditum est, homini relinquatur, de quo iure aliquo insolenter gloriatur? Homo rudis & squalida massa in vtero materno solius Dei virtute fingitur, formatur, viuificatur, & sustentatur. Nudus in hanc lucem editur, nullis ornamentis, nullis præsidijs aut viribus instructus, & in miseranda egestate præter vitam à Deo communicatam nihil possidet, quo tristem nuditatem obtegere possit. Quantæ miseriæ in crescente iam & augescente corpore depræhenduntur? quanta virium imbecillitas? quanta inscitia & imperitia rerum omnium sentitur? nisi



Deus magnæ mendicitatis misericor-
dia motus, infirmam & fragilem mas-
sam robore aliquo sustentet, nisi ali-
menta necessaria suppeditet, nisi sapi-
entiam rerum bonarum, prudentiam
& eximias ingenij dotes accendat.
Quid dicam de adultiori ætate, quæ ne-
gocijs vitæ humanæ occupatur? Non-
ne omnes laborum successus & euentus
salutares à Deo proficiscuntur, & in
actionibus vitæ ciuilibus non minor im-
potentia virium humanarum, quàm in
primo ortu animaduertitur? Etenim
Paulus ingenuè fatetur inquiring: Quid
habes, quod non accepisti? Si autem
accepisti, quid gloriaris tanquàm non
acceperis? Et alibi: ἡ ἰκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ
θεοῦ. Ac dolenter admodum Petrus co-
ram Doctore suo Filio Dei queritur:
Per totam noctem laborantes nihil ce-
pimus, & verè agnoscit, humanam sa-
pientiam, industriam omnem atq; dili-
gentiam minimè sufficere ad euentus
iucundos & salutares. Etsi enim neces-
sarias operas suæ vocationis exercet, &
nocte

nocte quidem cum socijs vberiore
capturam expectat, quando piscatus
felicior esse solet: Tamen euentum adeo
infelicem esse sentit, vt fateri cogatur,
etiam necessaria officia propria voca-
tionis carere successibus, nihilq; occa-
siones diu captatas, nihil labores gra-
uissimos, nihil multorum auxilia, nihil
artis experientiam proficere, sine gu-
bernatione & auxilio Dei. Hanc tri-
stem imbecillitatem generis humani
omnes pii intuentes veris gemitibus
deplorant, & in opinionibus de sese to-
taq; morum gubernatione modestio-
res fiunt. Ac vult Deus nos saepe confi-
derare vires nostras, vt magis metua-
mus ipsum, & hoc honore dignissi-
mum credamus, quod sit bonus, iustus,
verax, beneficus, misericors, dator vite,
sapientiae, prosperitatis, & aliorum do-
norum, ne confisi proprijs dotibus, a
vocatione & voluntate ipsius aliena
moueamus: Sicut profani homines iu-
dicant, potentiam, opes, dignitatem, &
alia vitae commoda humani ingenij

F 5

solertia



solertia & viribus tantum parari. Plato in Epitaphio illos beatos esse pronunciat, quorum fortuna non ab alijs pendet, qui in seipsis omnia posita habent, quæ ad bene beateque viuendum requiruntur. Et politici homines ideò ALEXANDRVM tot victorijs floruisse existimant, quòd sapientia consiliorum, peregrinationum celeritate, laborum sedulitate & tolerantia, robore exercitus militaris, omnibus Ducibus orbis terrarum longè præstitisse videatur. AJAX à patre Telamone iam senè dimissus, & amantissimè rogatus, ne numinis cultum & reuerentiam propter successuum felicitatem negligeret, superbè gloriatur: Ignauis iuuantem Deo vincere solent. Ego verò sine Deo. NABVGDONOSOR apud Danielem regni pulcherrimi splendorem, & magnificentiam vrbs suæ industriæ tribuit: Hæc est illa Babylon, quam EGO ædificauit in robore fortitudinis MEÆ, POMPEIUS fiducia suæ auctoritatis & potentiae inflatus iactitat, se
vnius

vnus pedis supplensione vel ex ipsis
terræ visceribus exercitum euocatu-
rum, quo tota Italia compleatur. His
superbis & contumeliosis vocibus, que
nullo timore Dei reguntur, oppona-
mus ingenuam Petri confessionem,
quæ constanter affirmat, successuum &
eventuum bonorum causam, esse solam
præsentiam & gubernationem Dei,
nec humanam præstantiam quamcunq;
solis consilijs & viribus priuatis feli-
cem esse aut salutarem, sicut disertè
Psalmus ait: Nisi Dominus ædificaue-
rit domum, frustra laborant, qui ædifi-
cant eam. Et pulchra est admonitio di-
uinæ vocis in Deuteronomio, qua suc-
cessus prosperi solis contentionibus
humanis detrahuntur: Non dicas: For-
titudo mea & robur manus meæ omnia
mihi præstitit: Sed recorderis Domini
Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit.
Ideò Historiarum exempla euidenter
ostendunt, profanam insolentiam plæ-
runq; atroces pœnas & Tragicas cala-
mitates secutas fuisse. AIA X suarum
virium

virium persuasione tumens tandem in
honoris certamine ab Vlyffe victus in
furorem incidit, & Heroica indigna-
tione accensus miserabiliter seipsum
interficit. NABVGDONOSOR in flore
Imperij rationis vsu à Deo priuatur, &
in solitudinem eiectus totos annos sep-
tem cum bestijs vagatur, vbi egregiè
discit, Imperia non humanis viribus,
sed solius Dei virtute & sapientia con-
stitui in mundo. POMPEIUS post pu-
gnam Pharsalicam fortunæ blandien-
tis conuersionem grauer ferens, con-
tra Prouidentiam disputat, & in Ægy-
ptum exul delatus in conspectu Con-
iugis Corneliæ ab ingrato Rege mi-
serrimè obtruncatur. Sit igitur in con-
spectu sapientissimi Regis præcep-
tum: Confide Domino in toto corde
tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In
omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse
diriget gressus tuos. Ideo Pallas apud
Sophoclem monstrans furorem Aiakis
& Tragicorum exemplorum vsu,
grauissimè concionatur Vlyssi:

ΤΟΙΟΥΤΟ

Τοιαῦτα τῶν ἐισορῶν ὑπέροπον
μηδὲρ ποτ' εἶπης αὐτός εἰς θεός ἐπ' ἔ.
μηδ' ὄγκον ἄρης μηδέν', εἰ ἕνθ' πλέον
ἢ χερὶ βρῖθεις, ἢ μακροῦ πλάτους βάρι.
Ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγα πάλιν
Ἄπαντα τ' ἀνθρώπεια: τὸς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι, καὶ συγῶσι τὸς κακούς.

Id est: Hæc exempla te moueant, ne quid superbè dicas aduersus Deum, necq; insolescas, si fortè plus alijs vel manu, vel magnarum opum pondere polles. Quia dies inclinât & excitat rursum omnes res humanas. Modestos Deus amat, & odit malos.

Porro autem sciendum est, quam euentus salutare non reguntur industria virium humanarum, non tamen excludi labores vocationis, sed à singulis requiri sedulitatem & diligentiam in omnibus officij partibus, sicut Petro Filius Dei præcipit: Duc nauem in altum, & laxate retia ad capturam. Hoc mandatum etiam ad nostram vocationem pertinet, & post veram pietatem atq; modestiam, curam acrem & diligen-

diligentiam in studijs requirit. Etenim
Deus bona sua non communicat igna-
uis & nihil agentibus. Imò sicut ante
lapsum Adam collocatus fuit in Para-
disum, vt eam coleret & custodiret, &
post lapsum generis humani editum
est mandatum de assiduitate laborum,
& tolerandis molestijs in singulis vitæ
generibus: Ita omnibus temporibus
vult Deus, vt quocumq; loco constitui
sumus, strenuè laboremus, & debitis
officijs vocationi nostræ seruiamus.
Vult honestis laboribus non solùm pa-
rari victum & vitæ præsidia, iuuari Ec-
clesiam & civilem societatem, verum
etiam omnia bona corporis, animæ &
fortunæ nobis ab ipso data magis au-
geri, sicut Epicharmus eleganter ait:
τῶν πόνων γὰρ πωλῶσιμ ἡμῶν πάντα τ' ἀγαθὰ
θεοί. Commoda diuendit cuncta labore
Deus. Et Plato in 4. de Legibus de
causis actionum humanarum rectè di-
sputat: Deus quidem & cum Deo oc-
casio atq; fortuna, humana negotia gu-
bernant: Mitius est autem concedere,
quòd

quòd tertium adiungi necesse sit, ar-
tem videlicet & industriam humanam.
Ut autem grauissimi labores cuiusq;
vocationis plurimum ordine leuantur
& minuuntur: Ita in studijs præcipua
cura ordinis esse debet, vt sine longi
temporis molestia quotidianæ accessio-
nes ad eruditionem fiant. Est enim in-
gens artium & rerum discendarum
varietas: Ideò vniuersa sapientia, quæ
ab hominibus in hac caligine percipi
potest, certis capitibus compræhensa
& distincta est, vt ratione quadam &
Methodo in eius cognitione proceda-
tur. Multi rectissimam discendi viam
esse existimant, sine iudicio & ordine
certo per multos ac varios autores ve-
lut in campo latissimo vagari, & ex
promiscua locorum insignium annota-
tione rapsodias prolixas contexere, in
quibus summæ eruditionis perfectio-
nem & laudem ponunt. Hoc consilium
ipsis forsitan puerilem oblectationem,
Reipublicæ verò nullam vtilitatem
adferre potest. Nullius enim generis
artifices

artifices fieri student, cum res nullas integre & perfecte discant, ideoque in magnis controuersijs & deliberationibus saepenumero turpiter hallucinantur. Alij etsi non incerto motu per studiorum Labyrinthos deerrant, sed in certo genere utiles autores euoluendos & cognoscendos esse norunt: Tamen impatienter ferunt certarum artium vincula, & si mediocris difficultas obijciatur, subito resiliunt, donec molli quodam fastidio a prioribus operis abalienati, ad nouas delicias inani voluptate ferantur. Sed ut viatores crebra diuerticula quærentes, tardius & difficilius ad metam perueniunt: Ita hi quoque crebra permutatione operarum, parum feliciter optatum finem in studijs assequuntur. His immaturis consilijs opponenda sunt iudicia sapientum, qui ut Iaculatores ad certum scopum collimare student: Ita in studijs initiõ de certo fine constituendum, deinde verõ media certa Methodo ad finem ducentia, comparanda esse docent. Præcipuus & vltimus

ultimus finis omnium non modò studiorum, verum etiam actionum vitæ totius, est gloria Dei, vt grauissimè scriptum est: Omnia ad gloriam Dei facite. Deinde alij fines sunt proximi & immediati, quos Græci eruditè nominant *σώεσις* η̄ *δύναμις ἐρμωτικὴ*, *Σώεσις* rerum cognitionem continet, seu sapientiam rectè sentientem & iudicantem de rebus. *Δύναμις ἐρμωτικὴ* facultatem benè dicendi complectitur, seu orationem propriè, significanter, ornatè & copiosè animi cogitationes explicantem. Hos fines ab ineunte ætate singuli discipuli intueri, & ad eos rectissimis studijs contendere debent. Habet enim vterq; proprias classes artium, quarum adminiculo & velut instrumento facilius & rectius comparari potest. Vt autem in vsu communi rerum cognitio sermonis facultatem antecedit, quam ex illa efflorescere & redundare oportet: Ita in studijs adolescentiæ prior est cura rectè dicendi, quam cognatæ illæ artes, quæ Logicæ nominantur, & il-

G

lustria

Iustitia disertorum exempla gubernant.
Veteres ut ingenia discipulorum probarent atque acuerent, Arithmeticae & Geometriae cognitionem in studiis primam esse voluerunt. At his nostris ingenijs in principio studiorum aptiores esse videntur artes dicendi, quanquam ferè semper aliquam rerum sapientiam adiunctam habent. GRAMMATICA suppeditat sermonem purum, proprium, significantem, & sine ambiguitate explicantem res omnes, quae in dictionem cadunt. DIALECTICA quacunque questione proposita res idoneas & ad translationem necessarias ex superioribus artibus inuenire, inuentas disponere, dispositas aptè connectere, connexas diiudicare, & simplici orationis genere pronuntiare docet, ut veritas inuestigetur, & refutatis praestigijs Sophismatum verae sententiae in animis auditorum accendantur & confirmentur. RHETORICA rebus adhuc nudis, & simplici sensu circumscriptis, pulcherrimum quasi amictum induit splendor-
re ver-

re verborum & phrasium, luminibus figurarum, & pondere sententiarum, easq; amplificationum formulis paulatim latius diffundit ac ornat, vt ceu flosculorum fragrantia, & pigmentorum colore imbutæ, magis enitescant, suaui lenocinio penetrent animos, eosq; velut stimulis quibusdam concitatos ad quemcunq; affectum haud inuitos traducant. Harum artium præcepta etsi ad Orationis conformationem in primis necessaria sunt: Tamen Eloquentia præter hæc & vim naturæ maximam, & aliarum plurimarum rerum adiumenta requirit. Naturalis facultas Logicis illis artibus excitatur & regitur: Sedula verò & attenta lectione paucorum excellentium autorum, qui propriissimè & elegantissimè in sua lingua locuti fuerunt, expolitur & augeatur. In his enim vt præcepta rectè ad usum transferantur, non verba tantùm simplicia, & formulæ sermonis, non figuræ solùm, & linguæ Idiomata obseruanda sunt: Sed totum artificium In-

ventionis, Dispositionis, Compositio-
nis & Elocutionis Rhetoricę inquire &
cōsiderari debet. Huc accedit Imitatio,
quæ illustria bonæ Orationis exempla
prælucentibus regulis inferiorum ar-
tium in sua membra, sententias, Perio-
dos, argumenta, ornamentorum & am-
plificationum formulas ceu Delphico
gladio aptè resoluit, & singulorū ima-
ginem aliquam in scribendo & dicendo
effingere atq; exprimere conatur. Hanc
curam assidua exercitatio lenit, & sty-
lus, qui optimus dicendi effector atq;
Magister est, hanc primam studiorum
partem ad mediocrem perfectionem
deducere solet. Est autem fundamen-
tum Eloquentiæ *Σύνοσις* ipsa, seu rerum
cognitio, ad quam se discentes paula-
tim applicare debent. Hæc etsi latissi-
mè diffusa videtur: Tamen à summis
ingeniis in artium certa genera contra-
cta est, vt separatim & distinctè trada-
tur. Sunt enim quatuor velut classes
superiorum artium & disciplinarum,
quibus doctrina rerum necessariorum
in

in omni vita, publica & priuata, conti-
netur. THEOLOGIA docet arcanam
sapientiam in Lege & Euangelio pate-
factam de essentia & voluntate Dei, de
causis peccati & mortis, de beneficijs
Filij Mediatoris, de instauratione ge-
neris humani, de agnitione, inuocatio-
ne, & veris cultibus Dei, de remedijs
atrocium malorum & firmis consola-
tionibus, de secutura beatitudine, glo-
ria & vita sempiterna piorum. Harum
maximarum rerum doctrina cum ad
veram pietatem & æternam animæ sa-
lutem necessaria sit, statim cum primis
illis artibus, quas dixi, Catechesis Chri-
stiana coniungenda, & inter assidua
exercitia pœnitentiæ intimis sensibus
animorum imprimenda est. ETHICA
mores hominum regit, & disciplinam
externam, pacem & tranquillitatem
publicè priuatimq; gubernat. Hinc or-
ta Iurisprudentia leges politicas ordi-
nat, constituit Imperia & iudicia, regit
contractus & ordinem ciuiliū actio-
num, rectè dijudicat controuersias fo-



renses, & iustitiam ex scripto Iure in
causis publicis administrat, deniq; om-
nes nervos honestæ disciplinæ atq; or-
dinis in vita necessarijs præsijs mu-
nit. **PHYSICA** rerum in natura causas,
qualitates, proprietates, actiones, etiam
Animæ & corporis humani facultates
in primis, inquirit & explicat. Hinc ars
Medica extructa vitam hominum tue-
tur, & ad præsentem valetudinem fo-
uendam, amissam verò recuperandam
idonea remedia præscribit & applicat.
Pertinent huc **Mathemata**, quæ non
solum contemplantur cœlestia corpo-
ra, & pulcherrimam motuum Harmo-
niam, locorumq; terrestrium descrip-
tiones per demonstrationes Geometri-
cas & numerorum proportionem inve-
stigant, sed etiam qualitates, effectio-
nes & vires omnes, quas luminaria
cum reliquis stellis in natura inferio-
re exercent, inquirunt & patefaciunt.
HISTORIA deniq; miranda Dei facta,
& res gestas hominum clarissimorum
inde vsq; ab initio generis humani re-
censet,

censet, simulq; successiones & mutatio-
nes Imperiorum, discrimen honesto-
rum & turpium, imagines virtutum ac
vitiorum, exempla iustitiæ Dei in præ-
miorum & pœnarum distributione
describit, vt sint regulæ morum &
actionum honestarum in omni vita.
Præter hæc summa genera artium, nul-
lo modo aspernanda sunt Linguarum
studia, quæ omnium disciplinarum
fontes continent, & ad perfectam re-
rum cognitionem fidissimæ Duces sunt
atq; ministræ. Etsi autem impossibile
est, aut profectò quibusdam ingenijs
propè diuinis rarò accidit, vt perfe-
ctam in singulis facultatibus doctri-
nam & sapientiam capere possint: Ta-
men in vno certo genere, quod naturæ
cuiusq; maximè congruit, principaliter
elaborandum est, vt aliquod operæ præ-
cium in eo fiat. In cæteris si primæ te-
neri non possunt, honestius & vtilius
multò est, in secundis tertiiisue con-
sistere, quàm ex tenui & incerto gustu
omnium rerum vanam sapientiæ lau-

dem sibi vindicare. At Eloquentiæ studium in nullo genere prætermitti potest. Vt enim verborum volubilitas sine rerum scientia inanis atq; deridenda est: Ita liberalis cognitio multarum artium exiguam laudem meretur, si facultas copiosæ & elegantis Orationis desit. Ideò Deus in fabricatione corporis humani linguam & Tracheam, quæ vocis & sermonis organa sunt, cordi vicina esse voluit. Et sicut in Imperiis Oratores Regibus adiuncti sunt: Ita linguam cogitationum mentis, & affectuum cordis interpretẽ esse oportet. In quocunq; igitur homine vis sapientiæ cum eloquentiæ facultate coniungitur, huic solidæ eruditionis commendatio & gloria optimo iure tribuitur, sicut eleganter ait Isocrates: ὁστος ἔστι χαριέστατος, ὅς ἂν ἢ διεσπαρμένων ἐν ταῖς ἢ ἄλλων διανοίας ἀθροῖσαι τὰ πλεῖστα δύνηται, καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν. Ex his, quæ dixi, magnitudo & series laborum in vocatione literaria, mediocriter intelligi potest. Necessaria est igitur

igitur Sedulitas, qua excitantur dona ingenij, ne ignauia obtorpescant, & errantes motus luxuriantium animorum coërcentur. Ac ne quis mole operarum deterreatur, aut varietate studiorum motus successum desperet, vltimam orationis partem de Patientia breuiter attexam.

Quia enim omnes contentiones & conatus nostri, quos officij ratio postulat, semper inanes videntur, ac sæpe differuntur euentus salutare, vnicum illud præsidium in qualibet vocatione reliquum est pijs, vt in silentio & spe fortes sint, & fiducia promissionum diuinarum iucundos laborum fructus iuxta consilium Dei patienter expectent. Magna est querela humanarum mentium, quòd euentum negotiorum præstare nemo potest, & sæpenumero honestissimis consilijs exitus tristissimus respondet. Multi etiam, cum res infelicius procedunt, per indignationem abiiciunt vocationem, & mouent non necessaria, quibus tandem evertuntur.

G S tuntur.

tuntur. Hic tenenda est consolatio di-
uinae vocis, & adhortatio ad patien-
tiam & animi tranquillitatem. Esa. 30:
Si essetis tranquilli, salus vobis contin-
geret. Threno. 3: Bonum est praestolari
cum silentio salutem Dei. Psalmo 37:
Commenda Domino viam tuam, &
spera in eum, & ipse faciet. Et educet
quasi lumen iustitiam tuam, & iudi-
cium tuum tanquam meridiem. Non
humano consilio deserenda est vocatio
propter euentuum futurorum incerti-
tudinem, sed acquiescendum in pro-
missionibus diuinis, omniq; sollicitudi-
ne excussa euentus ipsi Deo commen-
dari debent. Ita Petrus etsi contra iu-
diciam rationis & artis suae experienci-
am sub meridiem vel in alto piscari iu-
betur, vbi piscatum exigui aut nullius
momenti fore sciebat: Tamen intuetur
vocem Filij Dei mandantis, cui sim-
plici animo obtemperandum esse sta-
tuit. Interim euentum praeposterae pi-
scationis ipsi auctori gubernandum re-
linquit, patienter exclamans: Praecep-
tor

tor IN VERBO TVO laxabo rete: Obediam mandato tuo, quo absurda iudicio humano & infausta præcipere videris, sed tu rege euentum, fac vt hic iactus sit felix & salutaris. Hoc modo vult Deus exerceri fidem & inuocationem, ideò differt auxilium, & de petitione auxiliij mandatum tradit, addita simul consolatione de sua efficaci præsentia & ope, quam iuxta ordinem in verbo sancitum certò nobis affuturam esse, promissiones confirmant: Non erit labor vester inanis in Domino. Item 2. Paral. 15: Confortamini, non dissoluantur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro. His consolationibus in magna difficultate studiorum nos quoq; sustentemus. Non frangamur multitudine rerum discendarum, vt honestissimæ vocationis occupationem deserendam esse putemus, sed excelso animo per classes artium, velut per loca inuia & obsita sentibus, Methodo prælucente perumpamus. Nec de euentu studiorum & secuturis
reliquæ

reliquæ vitæ conditionibus adeo solliciti simus, vt necessaria officia negligamus. Quin potius inanibus curis vacui obtemperemus voluntati diuinæ, & inter ipsas occupationes cum fide, spe & animi tranquillitate felicem ac salutarem gubernationem Dei patienter expectemus.

Recensui causas felicium successuum in quacunq; vocatione, iuxta seriem quatuor pulcherrimarum virtutum, quæ in exemplo Petri laborantis depinguntur. Nec dubito, veram beatitudinem vitæ, omniumq; actionum felicitatem consistere in vera & ardenti pietate erga Deum certo verbo & illustribus testimonijs patefactum: in agnitione propriæ infirmitatis: in sedulitate & laborum, tolerantia iuxta vocationem: deniq; in patientia & animi fortitudine expectante gubernationem & euentum salutarem iuxta consilium Dei. Vnum illud restare videtur, vt adolescentes, posteaquam seipso rectè cognôrint, hunc ordinem in verbo Dei monstratum

monstratum teneant, & in omni vita imitentur. Constat Ethnicos in magna imbecillitate virium humanarum & tristi rerum confusione anxie quæsiuisse ordinem actionum felicium, quo omnia impedimenta & incommoda vitæ declinarent. Et Cicero Stoicorum dogmata secutus, quatuor præcipuas virtutes celebrat, Sapientiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam seu Modestiam, nec dubitat affirmare, quòd in ijs expleta & perfecta forma honestatis consistat. Harum virtutum ordinem & coniunctionem in homine naturale iudicium rationis utcunq; deprehendit & constituit. Ideò saniores Ethnici in ipsis & vim honestatis omnem & vitæ beatitudinem collocârunt. Postea experientia docuit sapientes illos viros, quàm procul à vero ordine actionum aberrârunt, ac sæpe consiliorum & negotiorum infelicitas impulit eos, vt varios modos vitæ degendæ & inania *θελητήρια* excogitarent. At nos, qui in sancto cœtu Ecclesiæ Dei viuimus,

mus, non ad obscuras & dubias regu-
las humanae sapientiae, sed ad illustres
& immotas patefactiones diuinae vo-
cis alligati sumus. Ac ne in magna
mole confusionum & varietate impe-
dimentorum animis perpetuo fluctue-
mus, non modo certissimam normam
verbi sui Deus nobis proponit, sed ex-
emplis felicium actionum nos confir-
mat in uocatione sanctorum patrum,
Mosis, Iosuae, Dauidis, Elisaei, Esaiæ,
Danielis, Pauli, Petri, & reliquorum
Apostolorum. Quare præluceat ani-
mis nostris clarissima & salutaris lux
Euangelij, & iuxta eam in qualibet
uocatione ardenti pietate colamus
Deum, agnoscamus virium nostrarum
imbecillitatem, simus modesti & sedu-
li in laboribus proprijs, non deseramus
officia necessaria propter moram suc-
cessuum, sed cum timore Dei & animi
tranquillitate, patientiam, fidem &
spem auxiliij diuini retineamus. Deniq;
sæpe repetamus inuocationem & pias
voces ex Psalmis: Fac cum seruo tuo
secundum


secundum misericordiam tuam Domi-
ne, & iustificationes tuas doce me. Item:
Doce me facere voluntatem tuam, quia
Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus
deducat me in viam rectam.

Filius Dei λόγος αἰterni Patris, na-
tus ex virgine, vt sit lux vera illumi-
nans cœcas mentes hominum, semper
nos doceat verbo suo, & regat Corda
nostra Spiritu sancto, vt ad teneras
Cunas sedentes, & molles fasciolas
euoluentes feliciter discamus doctri-
nam Euangelij & bonarum artium,
ipsiq; perpetuò grata dicamus
& faciamus, Amen.

D I X I.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical or religious context.



Aug IC 223


ULB Halle

3

002 491 397



5b



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ORATIONES DVÆ:
UNA DE PVERO-
RVM ET ADOLESCENTVM
*etate, accommodata ad Festum
Micaëlis.*
ALTERA DE
CAVSIS FELICIVM SVC-
cessuum in studijs, & quacunq; uocatio-
ne, ex uerbis Petri: Præceptor, in
uerbo tuo laxabo rete,
Luca V.
SCRIPTÆ
A
M. ADAMO FRANCISCO
*Carnouio, in communem usum pio-
rum adolescentum.*
VVITEBERGÆ.
EX OFFICINA IOHAN-
NIS LVFFT.
ANNO M. D. LXIX.